

0xx/-

1160

1518

[First Ed. of the Epigrams]

3 titles within woodcut borders + one full-page  
woodcut. (Signatures B2 + B3 repaired)

#145

EX LIBRIS

WALTER OAKESHOTT

A.D. XV. KAR. DEL.

M(MLXXXIX)

S<sup>t</sup> Paul's School  
at Easthampstead Park  
Wokingham.


4 Gibson #3


ginalia: tp; p. 28,  
39, 41, 56, 61, 62,  
77


Bought at Parker's in  
Oxford W.P.O.


This is the first edition (nos 22 and 23 in  
the John Burns sale, March 1944, were of  
this edition, but neither of those copies had  
the 18th-century etching at the end, as far as  
copying us). It is the first edition of Morris'  
etchings, cf. no. 166 in that catalogue.

The size of Burns' copies were 206 mm x 148 mm  
208 mm x 154 mm









# DE OPTI

MO REIP. STATV DEQVE  
noua insula Vtopia libellus ue-  
re aureus, nec minus salutaris  
quam festiuus, clarissimi disertis-  
simiç uiri THOMAE MORI in  
dytae ciuitatis Londinensis ciuis  
& Vicecomitis.

EPIGRAMMATA clarissimi  
disertissimiç uiri THOMAE  
MORI, pleraç è Græcis uersa,  
EPIGRAMMATA. Des. Eras-  
mi Roterodami.

Apud inclytam Basileam.



ERASMVS ROTERODAMVS IOAN  
NI FROBENIO COMPATRI SVO  
CHARISSIMO S. D.



V M antehac omnia Mori mei mihi supra  
modū semper placuerint, tamen ipse meo  
iudicio non nihil diffidebam, ob arctissimā  
inter nos amicitiam. Cæterum ubi uideo  
doctos uno ore omneis meo subscribere  
suffragio, ac uehementius etiam diuinum  
hominis ingeniu suscipere, non quod plus ament, sed quod  
plus cernant, serio plundo meæ sententiæ, nec uerebor post-  
hac quod sentio palam eloqui. Quid tandem non præstitis  
set admirabilis ista naturæ felicitas, si hoc ingenium insti-  
tuisset Italia? si totū Musarū sacris uacaret, si ad iustā fru-  
gem ac uelut autumnū suū maturuisse? Epigrāmata lusit  
adolescens admodū, ac pleraq; puer. Britāniā suam nūq;  
egressus est, nisi semel atq; iterū, principis sui nomine lega-  
tione fungens apud Flandros. Præter rem uxoriā, præter cu-  
ras domesticas, præter publici muneriſ functionē, & cauſaſ  
undas, tot tantisq; regni negocijſ distrahit, ut mireris esse  
ociū uel cogitādi de librīſ. Proinde misimus ad te pgymna  
ſmata illius, & Vtopiā, ut si uideſ tuis excusa typis orbi po-  
steritatiq; cōmendentur. Quādo ea eſt tuæ officinæ autori-  
tas, ut liber uel hoc nomine placeat eruditis, si cognitū ſit ē  
Frobenianis ædibus pdiſſe. Bene uale cū optimo ſocero, cō-  
iuge ſuauiſſima, ac mellitiſſimiſ liberis. Erasmū filiolum mi-  
hi tecum cōmunem, inter literas natū, ſac optimis literis in-  
ſtituēdū cures. Louanij. VIII Cal. Septemb. An. M.D.XVII.

# •GVILLIELMVS

EVDAEV S THOMAE LV.

PSETO ANGLO S.



RATIAM SANÈ INGENTEM À  
nobis inijssti Lupsete adolescētum dō  
ctissime, qui me porrecta mihi V TO-  
PIA THOMAE MORI, ad iucūdīs  
simæ simul & usui futuræ lectionis in/  
tentionem auertisti. Nam cum à me dudum precibus  
id contendisses, id quod meapte ipse sponte magnope  
re exoptaturus eram, ut THOMAE LINACRI medi-  
ci utraq̄ lingua præstatiſſimi libros ſex de sanitate tuē  
da legerem, quos ille ex Galenī monumentis latinitatē  
te nuper ita donauit, uel quibus ipſe potius latinitatē,  
ut si omnia eius autoris opera (quæ ego instar omnīs  
medicinæ eſſe puto) latina tandem fiant, non magno-  
pere tum medicorum ſchola Græcæ linguae cognitio-  
nem defyderatura uideatur. eum librū ex ſchedis LI-  
NACRI tumultuaria lectione ita percurri (quarum mi-  
hi uſum tantisper à te indultum ſummi loco benefi-  
cij duco) ut ea lectione multū me profeciffe existimem,  
ſed ex libri æditione, quæ nunc à te ſedulo procuratur  
in officinis huius urbis, ego maiorem etiam profectū  
mihi ſpondeam. Hoc nomine cum me tibi obſtri-

22 Etum eſſe

Etum esse satis crederem, ecce tu mihi uelut prioris beneficij uel appendicem uel auctarium VTOPIAM illā MORI donasti, hominis in primis acris, ingenioq; ameno, & in rerum humanarum æstimatione ueteratis. Eum librum cum ruri in manibus cursitando, sagendo, operis imperitando haberem (partim enim nosti, partim audisti uillaticis me negotijs alterū iam hūc annum multum opera īpendisse) usq; adeo eius lectione affectus sum cognitis & perpensis. Vtopinorū moribus & institutis, ut penē rei familiaris procurationem intermisserim, atq; etiam abiecerim, cū nugas esse uiderem artem omnem industriaīq; œconomicam, omnino curam census ampliatricem. qua tamen ipsa omne genus mortalium uelut cestro quodam intestino & congenito exagitari nemo est qui non uideat & intelligat, ut legitimarum propè dixerim & ciuiliū artium ac disciplinarum eum esse scopum fatēri necesse sit, ut tam liuida quam accurata solertia alter ab altero, qui cū ciuitatis ius ei & interdū gentilitatis intercedit, quippiā semp abducatur, abstrahatur, abradatur, abiuret, exprimatur, extundatur, excusat, extorqueat, excutiat, excudit, subducatur, suffuretur, suppiliet, inuulet, legibusq; partim connuentibus, partim autoribus auferat & interuertat. Id adeo magis in ijs gentibus apud quas iura, quæ ciuilia & pontificia uocantur, amplius in utrocq; foro ualent. Quorum moribus & institutis eam inualuis se opinionē

se opinionē nemo nō uidet, ut homines cautionū pru-  
 dentes uel captionū potius, & inconsultorū ciuiū auca-  
 pes, & formularū, id est excipularū opifices, ac pactilis  
 iuris callentissimi, & litiū concinnatores iurisq; contra/  
 uersi, peruersi, inuersi, consulti, antistites esse iustitiae &  
 quitatisq; existiment, soliq; digni q; de æquo bonoq;  
 responsitent, atq; etiam (quod maius est multo) qui cū  
 imperio ac potestate statuant, quid unum quēq; habe-  
 re, quid non habere, quatenus q; diūq; liceat, halucinā/  
 tis id utiq; sensus communis iudicio, quippe cū pleriq;  
 hominum crassis ignorantiae lemīs cæcutientes, tam &  
 quissimam ferè causam unum quēq; putemus habere  
 quam maxime ius postulat, aut iure subnixus est. Cū  
 si ad ueritatis normam, & ad simplicitatis Euangelicæ  
 præscriptum exigere iura uelimus, nemo sit tam stupi-  
 dus quin intelligat, nemo tā uæcors quin fateatur si ur-  
 geas, tā ius & fas hodie ac iamdiu in sanctionibus pon-  
 tificijs, & ius atq; æquum in legib; ciuilib; & princi-  
 pium placitis dissidere, quam CHRISTI rerum huma-  
 narum conditoris instituta, eiusq; discipulorum ritus,  
 ab eoruū decretis & placitis qui Croesi & Midæ aceruos  
 bonorum finem esse putant, & felicitatis cumulū, adeo  
 si iustitiam finire nūc uelis quomodo priscis autoribus  
 placuit, quæ ius suum unicuiq; tribuat, uel nullibi eam  
 in publico inuenias, uel (si dicere id mihi permittam) cu-  
 linariam quandam dispensatricem esse ut fateamur ne

cesse sit, siue nunc imperitantium mores spectes, siue ci-  
 uiuum inter se & popularium affectus. Nisi uero à ger-  
 mania mundicę æquali iustitia (quod ius naturale uo-  
 cant) manasse ius id cōrēderint, ut quo quisq; plus pol-  
 leat, eo etiā plus habeat. quo autē plus habeat, eo plus  
 eminere inter ciues debeat. quo fit ut iā iure gentiū rece-  
 ptū esse uideamus, ut q; nec arte nec industria memora-  
 bili iuuare ciues suos & populares possunt, si modo pa-  
 ctiles illos nexus & cōtractiles nodos teneāt, queis ho-  
 minū patrimonia obstringuntur, quosq; uulgas igna-  
 tum, hominesq; literis humanioribus dediti ac procul  
 foro, animi causa aut ueritatis indagandæ ergo agen-  
 tes, partim Gordij uincula esse ducunt, partim circula-  
 toria, nec magnopere miranda, ij millenorum ciuium  
 censum, & sape singularum ciuitatum, aut etiam am-  
 pliore habeant, ijdeinq; tum locupletes, tum frugi ho-  
 mines, tum magnifici conqueritores honorifice uociten-  
 tur. Quippe ijs sēculis, ijs institutis, ijs moribus, in ijs  
 gentibus quæ id ius esse statuerunt, ut tam summa fi-  
 de atq; autoritate quisq; sit, quam maximis opibus pe-  
 nates suos architectatus est, ipse hæredesq; eius. idq;  
 eo magis atq; magis, quo eorum adnepotes horumq;  
 rursus abnepotes patrimonia à maioribus parta lucu-  
 lentis certatim accessionibus cumulauerint, id est quo  
 longius latiusq; confines, affines, cognatos, consanguineosq;  
 summouerint. At uero CHRISTVS possessio-  
 num condi-

num conditor & moderator, Pythagoricam cōmunionem & charitatem inter asseclas suos relictam, luculentio sanxit exemplo, damnato capit is Anania ob temeritatem cōmunionis legem. Quo certe instituto CHRI STVS omne iuris, istius ciuilis pontificijq; adeo recentioris argumentosa uolumina, inter suos quidem abrogasse mihi uidetur. quod ipsum ius hodie arcem tene re prudentiae uidemus, ac fata nostra regere. VTOPIA uero insula, quam etiam VDEPOTIA M appellari audio, mirifica utiq; sorte (si credimus) Christianos uero ritus ac germanā ipsam sapientiā publice priuatimq; haussisse perhibetur, intemerata mīcq; ad hūc usq; diem seruasse, utpote quæ tria diuina instituta, hoc est bonum malorumq; inter ciues æqualitatem, seu malis ciuitatem numeris omnibus suis absolutam, & pacis ac tranquillitatis amorem constantem ac pertinacem, & auri argentiq; contemptū consertis (ut aiunt) manibus retinet, tria (ut ita loquar) euerticula omnium fraudū, imposturarum, circūscriptionum, uersutarum, & planitarum improbitatum. Superi suo numine facerent ut hæc tria VTOPIANA E legis capita trabali bus clavis firmæ ac statæ persuasionis in sensibus omniū mortaliū figerentur, protinus superbiam, cupiditatem, contentionē uæsanam, atq; alia penē omnia uulnifica Stygij aduersarij tela concidere languerēq; uideres, iuriscq; illam uoluminum uim immensam, tot eximia solidacq; ingenia

ingenia ad libitinam usq; detinentia, ut cassa & uacan-  
tia teredinibus permitti, aut inuolucris officinarum di-  
cari. Proh diui immortales quæ nam Vtopianorum  
sanctitas eam diuinitus beatitudinem emereri potuit,  
ut auaritia & cupiditas in eam unam insulam irrumpe-  
re, aut irrepere tot sacerulis non potuerint, nec inde iusti-  
tiam cum pudore proteruitate sua impudentiæq; ex-  
plodere & exigere. Deus nunc optimus maximus tam  
benigne cum ihs prouincijs egisset, quæ ab eius sacratissimo  
nomine cognomentum retinent & amplectūtur:  
certe auaritia tot mentes alioquin egregias arduasq;  
deprauans & pessundans, semel hinc facesseret, & aure-  
um sæculum Saturniūmq; rediret. Hic enim uero peri-  
culum esse quispiam autumarit ne forte Aratus & poë-  
tae prisci opinione falsi fuerint, qui Iustitiam è terris de-  
cedentē in signifero circulo collocauerūt. restitisse em-  
eam in Vtopia insula necesse est, si Hythlodæo credi-  
mus, nec dum in cælum peruenisse. uerum ego Vtopiā  
extra mundi cogniti fines sitam esse percunctando cō-  
peri, insulam nimirū fortunatam, Elysij fortasse cam-  
pis proximam, (nam Hythlodæus nōdum situm eius  
finibus certis tradidit ut Morus ipse testatur) multas  
quidem ipsam in urbes distractam, sed unam in ciuita-  
tem coēentes aut cōspiranteis, nomine Hagnopolin,  
suis utiq; titibus bonisq; acquiescentē, innocentia bea-  
tam, cælestem quodam modo uitam agentem, ut infra  
cælum

cælum, sic supra mundi huius cogniti colluusionē. Quæ  
in tot mortalium studijs ut acribus & incitatis, sic inani  
bus & irritis turbide & æstuose in præcipitum rapitur.  
Eius igitur illæ cognitionē THOMAE MORO de-  
bemus, qui beatæ uitæ exemplar, ac uiuēdi præscriptū  
ætate nostra promulgauit, ab Hythlodæo, ut ipse tra-  
dit, inuentum, cui omnia fert accepta. qui ut Utopianis  
ciuitatem architectatus sit, ritusq; illis & instituta cōdi-  
derit, id est beatæ uitæ argumētū nobis inde mutuatus  
sit, & importarit. MORVS certe insulam & sancta insti-  
tuta stilo orationeq; illustrauit, ac ciuitatem ipsam Ha-  
gnopolitanorū ad normā regulāq; expoliuit, omniāq;  
ea addidit, unde operi magnifico decor uenustasq; ac-  
cedit, & autoritas. etiā si in ea opera nauanda sibi tantū  
partes structoris uendicauit. uidelicet religio fuit maio-  
res sibi partes in eo opere sumere, ne Hythlodæus iure  
queri posset gloriā sibi à MORO præcerptam, præflo-  
ratamq; relinqui, si quādo suos ipse labores literis man-  
dare constituisset. ἐν λαβουμένου δύθερ θυτοῦ, μη διλόδως  
διπόσ ο τῷ διδεποτίᾳ γε νήσῳ ἐμφιλοχωρῶν ἐπιφανεῖς ποτε  
διυχεράνειε κολοβαρύνοιτο τάυτην ἀγνωμοσύνην θυτοῦ τούγε  
ἐγκαταλιώντος θυτῶν προσπνθισμένον τὸ κλέος τοῦ ἐρέματος  
τούτου. οὐτω γαρ πεωεῖσθαι, πρός ἀνδρῶν δὲ μη ἀγαθῶντες  
κολοβῶν. MORO autem homini per se graui, & auto-  
ritate magna subnixo, fidem planè ut habeā, efficit Pe-  
tri Aegidij Hantuerpiensis testimonium, quem uirum

nunc̄ coram à me cognitum (mitto nūc doctrinæ mo-  
rūq; cōmendationem) eo nomine amo quod ERA-  
SMI clarissimi uiri ac de literis sacris, profanis, omnēq;  
genus meritissimi, amicus est iuratissimus, quicum etiā  
ipso iamdiu societatem amicorū contraxi literis ultro  
citrōq; obsignatis. Vale Lupsete mi dilectissime, & LI-  
NACRVM Britānici nominis columē (quod quidē ad  
literas bonas attinet) nō magis iam uestrū (ut spero) q;  
nostrū uerbis meis saluta, uel coram uel epistola inter-  
nuncia, idq; primo quoq; tempore. is eī unus est pau-  
corum, quibus me perlubens approbarim si possim, cū  
& ipse coram hic agens mihi se summe, Ioanniq; Ruel-  
lio amico meo, studiorūq; conscio probauerit, & eius  
excellentem doctrinam, exactamq; diligentiam in pri-  
mis suspiciā, æmulariç; contendam. Velim etiā ut  
MORO salutem unā & alteram mandato meo uel mit-  
tas ut dixi, uel dicas. quem uitum in Mineruæ sacratius  
album iamdiu opinione mea, sermonēq; meu relatū,  
de Vtopia noui orbis insula summe & amo, & uene-  
ror. Eius enim historiam ætas nostra, posteræq; ætates  
habebunt uelut elegantium, utiliumq; institutorum se-  
minarium, unde translatios mores in suam quisq; ci-  
uitatem importent & accommodent. Vale, Parisijs  
pridie Cal. August.

Hexastichon

HEXASTICHON ANEMOLII POETAE LAV  
REATI, HYTHLODAEI EX SORO/  
NEPOTIS IN UTOPI-  
AM INSVLAM.

Vtc, priscis dicta, ob infrequentiam,  
Nunc ciuitatis æmula Platonicæ,  
Fortasse uictrix, (nam quod illa literis  
I' eliniauit, hoc ego una præstiti,  
Viris & opibus, optimisq; legibus)  
Eutopia merito sum uocanda nomine.

b 2

12 VTOPIAE INSULAE TABVLA.



## UTOPIENSIVM ALPHABETVM.

15

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y  
 Θ

TETRASTICHON VERNACVL A UTO-  
PIENSIVM LINGVA.

Vtopos	ha	Boccas	peula	chama.
ΘΟΙΤΛΕΘΓΟ	ΘΛΦΦΘΘ	ΓΘΘΘΘ	ΘΘΘΔΘ	
polta	chamaan			
ΓΛΞΘΘ	ΘΘΘΔΘΘ	J.		
Bargol	he	magloimi	baccan	
ΘΘΘΘΛΣ	ΘΘ	ΔΘΘΘΛΔΘ	ΘΘΘΘΘ	
soma	gymnosophaon			
ΒΛΔΘ	ΘΘΔJΛΘΛΓΘΛJ.			
Agrama	gymnosophon		labarem	
ΘΘΘΘΔΘ	ΘΘΔJΛΘΛΓΘΛJ	ΘΘΘΘΘ		
bacha	bodamilomin			
ΘΘΘΘΘ	ΘΛΘΘΔΘΘΛΔΘ	J.		
Voluala	barchin	heman	la	
ΕΙΛΞΘΘΘ	ΘΘΘΘΘΘ	ΘΘΔΘ	ΘΘ	
lauoluola	dramme	pagloni.		
ΣΘΕΛΞΘΘΘ	ΘΘΘΔΔΘ	ΓΘΘΘΛΘ		
HORVM VERSVVM AD VERBVM HAEC				
EST SENTENTIA.				

Vtopus me dux ex non insula fecit insulam.

Vna ego terrarum omnium absq; philosophia.

Ciuitatem philosophicam expressi mortalibus.

Libenter impartio mea, non grauatum accipio meliora.

b;

# CLARISSIMO D.

HIERONYMO BVSOLIDIO PRAEPOSITO  
ARIENSI, CATHOLICI REGIS CA  
ROLI A CONSILIIS, PETRV  
AEGIDIUS ANTVERPI  
ENSIS S. D.



VPERIORIBVS hisce diebus ornatissi-  
me Buslidii, misit ad me THOMAS ille  
MORVS, te quoq[ue] teste, cui notissimus  
est, eximium huius ætatis nostræ decus,  
Vtopiā insulā, paucis adhuc mortalibus  
cognitā, sed dignā in primis, quām ut plusq[ue] Platonicam  
omneis uelint cognoscere, præsertim ab homine facūdissi-  
mo sic expressam, sic depictā, sic oculis subiectā, ut quo-  
ties lego, aliquanto plus mihi uidere uidear, q[ue] cū ipsum  
Raphaēlē Hythlodæū (nam ei sermoni æque interfui ac  
MORVs ipse) sua uerba sonantē audire. Etiā si uir ille  
haud uulgari præditus eloquentia sic rem exponeret, ut  
facile appareret eum nō ea referre, quæ narrantibus alijs  
didicisset, sed quæ cominus hausisset oculis, & in q[ue]bus nō  
exiguū tempus esset uersatus, homo mea quidē sentētia,  
regionū, hominū, & rerū experientia uel ipso Vlysse su-  
perior, & qualē octingentis hisce annis nusq[ue] arbitrer na-  
tum, ad quē collatus Vespuclius nihil uidisse putet. Iam  
præterq[ue] quod uisa q[ue] audita narramus efficacius, aderat  
homini peculiaris quædā ad explicandas res dexteritas.

Attame

Attamen eadē hæc quoties MORI penicillo depicta con-  
 templor, sic afficiar, ut mihi uidear nō nunque in ipsa uersa-  
 ri Vtopia. Et hercule crediderim Raphaël ipsum minus  
 in ea insula uidisse pro omne quinquenniū quod illuc egit,  
 que in MORI descriptione uideri liceat. Tantū hic occurrit  
 undique miraculorum, ut ambigā quid primū, aut potissimū  
 admirer, felicissimæ memoriare fidem, quæ tot res audita  
 duntaxat penè ad uerbū reddere potuerit. an prudentiā,  
 qui uulgo ignotissimos fontes, unde omnia reipublicæ uel  
 oriūtur mala, uel oriri possent bona, sic animaduertit. an  
 orationis uim ac facultatē, qua tanta sermonis latini puri-  
 tate, tantis dicendi neruis, tot res cōplexus est, præsertim  
 unus in tot publica simul & domestica negotia distractus.  
 Verū hæc omnia tu minus admiraris doctissime Buslidi,  
 qui familiari etiā cōsuetudine penitus habes cognitū, ho-  
 mine maius ac proprie diuinū hominis ingeniu. In cæteris  
 igitur nihil est, quod illius scriptis queā adiçere. Tantū te  
 trastichū uernacula Vtopiensiū lingua scriptum, quod à  
 MORI discessu, forte mihi ostēdit Hythlodæus apponen-  
 dum curaui, præfixo eiusdē gentis alphabeto, tū adiectis  
 ad margines aliquot annotatiunculis. Nā quod de insu-  
 lae situ laborat MORVS, ne id quidē omnino tacuit Ra-  
 phael, quanque paucis admodū, ac uelut obiter attigit, ue-  
 lut hoc alij seruās loco. Atque id sanè nescio quo modo ca-  
 sus quidā malus utricque nostrū inuidit. siquidē cum ea lo-  
 queretur Raphaël, adierat MORVM è famulis quispiā,

qui

qui illi nescio quid diceret in aurē, ac mihi quidē tanto attentius auscultanti, comitū quispiā, clarius, ob frigus opinor, nauigatione collectū, tussiens, dicentis uoces aliquot intercepit. Verū non conquiescā, donec hāc quoq; partē ad plenū cognouero, adeo ut nō solum situm insulæ, sed ipsam etiā poli sublationē sim tibi ad unguē redditurus, si modo incolmis est noster Hythlodæus. Nam uarius de homine rumor adserit, alij affirmant perisse in itinere, rursus alij reuersum in patriā, sed partim suorū mores nō ferentē, partim Utopiæ desyderio sollicitatū, eò remi grasse. Nā quod huius insulæ nomē nūsc̄ apud Cosmographos reperiat, pulchre dissoluit Hythlodæus ipse. Si quidem fieri potuit, inquit, ut nomē quo ueteres sint usi, postea sit cōmutatū, aut etiā illos hæc fugerit insula, quādo & hodie cōplures oriuntur terræ, priscis illis Geographis intactæ. Quanq; quorsum attinet hic argumentis astruere fidē, cū MORVS ille sit autor. Cæterū quod is ambigit de æditione, equidem laudo & agnosco uiri modestiā. At mihi uisum est opus modis omnibus indignū quod diu premeretur, & cū primis dignū, quod exeat in manus hominū, idq; tuo potissimū nomine cōmendatū orbi, uel qd' MORI dotes tibi præcipue sint p̄spectæ, uel qd' nemo magis idoneus, q̄ rectis cōsilijs iuuet républicā, in qua iā annis cōpluribus, summa cū laude uersaris, tum prudētia, tū integratatis. Bene Vale studiorū Meccenas, & hui⁹ sc̄culi dec⁹, Antuerpiæ An. M.D.XVI. Cal. Nouēb.

Thomas

# THOMAS

MORVS PETRO  
AEGIDIO  
S. D.

Vdet me prope  
modum charis-  
sime Petre Aegi-  
di libellum huc,  
de Vtopiana re  
publica, post an-  
num fermè ad te mittere, quem te  
nò dubito intra sesquimèsem ex-  
pectasse. quippe quum scires mi-  
hi demptum in hoc opere inueni  
c. endi



endi laborem, neque de dispositione quicquam  
fuisse cogitandum, cui tantum erant ea recita-  
da, quae tecum una pariter audiui narrantem Ra-  
phaelem. quare nec erat quod in eloquendo labo-  
raretur, quando nec illius sermo potuit exquisitus  
esse, quum esset primum subitarius, atque extem-  
poralis, deinde hominis, ut scis, non perinde Latine  
docti quam Graece, & mea oratio quanto acce-  
deret proprius ad illius neglectam simplicitatem,  
tanto futura sit propior ueritati, cui hac in re soli  
curam & debeo & habeo. Fateor mi Petre, mihi  
adeo multum laboris hijs rebus paratis detra-  
ctum, ut penè nihil fuerit relictum. alioquin hu-  
ius rei uel excogitatio, uel cconomia, potuisset,  
ab ingenio neque infimo, neque prorsus indocto  
postulare, tum temporis non nihil, tum studij.  
quod si exigeretur, ut diserte etiam res, non tan-  
tum uere scriberetur, id uero à me praestari, nul-  
lo tempore, nullo studio potuisset. Nunc uero  
quum ablatis curis hijs, in quibus tantum fuit su-  
doris exhaustendum, restiterit tantum hoc, uti sic  
simpliciter scriberentur auditæ, nihil erat negocij.  
sed huic tamen tam nihilo negocij peragendo, cæ-  
tera negotia mea minus ferè quam nihil tempo-  
ris reliquerūt

Rogerio / uincitorio abo lib  
in defensio

Manzotillo R. p. m. 2016. Lib  
sub. Insigni v. 31. l.

ris reliquerunt. Dum causas forenseis assidue ali-  
as ago, alias audio, alias arbiter finio, alias iudex  
dirimo, dum hic officij causa uisitetur, ille negotij,  
dum foris totum fermè diem alijs impartior, re-  
liquum meis, relinquo mihi, hoc est literis, nihil.  
Nempe reuerso domum, cum uxore fabulan-  
dum est, garriendum cum liberis, colloquendum  
cum ministris. quæ ego omnia inter negotia nu-  
mero, quando fieri necesse est (necesse est autem,  
nisi uelis esse domi tuæ peregrinus) & danda  
omnino opera est, ut quos uitæ tuæ comites, aut  
natura prouidit, aut fecit casus, aut ipse delegisti,  
hijus ut te quām iucundissimum compares, mo-  
do ut ne comitate corrumpas, aut indulgentia ex  
ministris dominos reddas. Inter hæc quæ dixi elab-  
itur dies, mensis, annus. Quando ergo scribi-  
mus: nec interim de somno quicquām sum lo-  
quutus, ut nec de cibo quidem, qui multis non  
minus absunit temporis, quām somnus ipse, qui  
uitæ absunit fermè dimidium. At mihi hoc so-  
lum temporis adquiro quod somno ciboque suf-  
furor, quod quoniam parcum est, lente, quia ta-  
men aliquid, aliquando perfeci, atque ad te mi-  
Petre transmisi Utopiam ut legeres, & si quid ef-

c 2 fugisset

fugisset nos, uti tu admoneres. Quanquam enim non hac parte penitus diffido mihi (qui utinam sic ingenio atque doctrina aliquid essem, ut memoria non usquequa destituor) non usque adeo tamen confido, ut credam nihil mihi potuisse excidere. Nam & Ioannes Clemens puer meus, qui adfuit ut scis unà, ut quem à nullo patior sermone abesse in quo aliquid esse fructus potest, quoniam ab hac herba qua & latinis literis & Græcis cœpit euirescere, egregiam aliquando frugem spero, in magnam me coniecit dubitatem, si quidem quum quantum ego recordor. Hythlodæus narrauerit Amauroticum illum pontem, quo fluuius Anydrus insternitur, quingenitos habere passus in longum, Ioannes meus ait detrahendos esse ducentos, latitudinem fluminis haud supra trecentos ibi continere. Ego te rogo rem ut reuoces in memoriam. Nam si tu cum illo sentis, ego quoque adsentiar & me lapsum credam, si ipse non recolis, scribam ut feci quod ipse recordari videor mihi, nam ut maxime curabo, ne quid sit in libro falsi, ita si quid sit in ambiguo, potius mendacium dicam, quam mentiar, quod maliti bonus esse quam prudens. Quanquam facile

Nota Theologica differentiā inter mentiri & mendacium dicere.

facile fuerit huic mederi morbo , si ex Raphaele ipso , aut præsens scisciteris , aut per literas , quod necesse est facias , uel ob alium scrupulum , quino bis incidit nescio mea ne culpa magis , an tua , an Raphaelis ipsius . Nam neque nobis in mentem uenit querere , neque illi dicere , qua in parte noui illius orbis Vtopia sita sit . Quod non fuisse prætermissum sic , uellem profecto mediocri pecunia mea redemptum , uel quod subpudet me nescire , quo in mari sit insula de qua tam multa recensebam , uel quod sunt apud nos unus & alter , sed unus maxime , uir pius & professione Theologus , qui miro flagrat desyderio adeudæ Vtopiæ , non inani & curiosa libidine collustrandi noua , sed uti religionem nostram , feliciter ibi coeptam , soueat atque adaugeat . Quod quo faciat rite , decreuit ante curare ut mittatur à Pontifice , atque adeo ut creetur Vtopiensibus Episcopus , nihil eo scrupulo retardatus , quod hoc antistitium sit illi precibus impetrandum . Quippe sanctum dicit ambitum , quem non honoris aut quæstus ratio , sed pietatis respectus pepererit . Quamobrem te oro mi Petre uti aut præsens , si potes commode , aut absens per epistolam , compelles Hythlo-

Sanctus  
ambitus.

c ; dæum

dæum, atq; efficias, ne quicquam huic operi meo,  
aut insit falsi, aut ueri desyderetur. Atque haud  
scio an præstet ipsum ei librum ostendi. Nam ne  
que alius æque sufficit, si quid est erratum corrige-  
re, neq; is, ipse aliter hoc præstare potest, quam si  
quæ sunt à me scripta perlegerit. Ad hæc: fiet ut  
hoc pacto intelligas, accipiat ne libenter, an gra-  
uatum ferat, hoc operis à me conscribi. Nempe  
si suos labores decreuit ipse mandare literis, no-  
lit fortasse me: neque ego certe uelim, Vtopien-  
sium per me uulgata republica, florem illi grati-  
amque nouitatis historiæ suæ præripere. Quan-  
quam ut uere dicam, nec ipse mecum satis adhuc

Ingrata ho-  
minum iu-  
dicia.  
Ingratia  
munda  
Barbarus  
Scioli  
obso-  
letis uerbis

constitui, an sim omnino æditurus. Etenim tam  
uaria sunt palata mortalium, tam morosa quo-  
rundam ingenia, tam ingratii animi, tam absur-  
da iudicia, ut cum hijs haud paulo felicius agi ui-  
deatur, qui iucundi atque hilares genio indul-  
gent suo, quam qui semet macerant curis, ut æ-  
dant aliquid quod alijs, aut fastidientibus, aut in-  
gratis, uel utilitati possit esse, uel uoluptati. Pluri-  
imi literas nesciunt: multi contemnunt. Barbarus  
ut durum reiçit, quicquid non est planè barba-  
rum, Scioli aspernatut ut triuiale, quicquid obfo-

letis uerbis non scatet . quibusdam solum placent  
uerera , plerisque tantum sua . Hic tam tetricus est ,  
ut non admittat iocos ; hic tam insulsus , ut non fe-  
rat sales , tam simi quidam sunt , ut nasum omnem  
uelut aquam ab rabido morsus cane , reformidet .  
adeo mobiles alij sunt , ut aliud sedentes probent ,  
aliud stantes . Hi sedent in tabernaculis , & inter pocu-  
la de scriptorum iudicant ingenij , magnaque cum  
autoritate condemnant utcunque lubitum est , su-  
is quenque scriptis , ueluti capillicio uellantes , ipsi  
interim tuti , & quod dicit solet , οὐδὲ θέλουε . quippe  
tam leues & abrasi undique , ut ne pilum qui-  
dem habeant boni uiri , quo possint apprehendi .  
Sunt præterea quidam tam ingrati , ut quum im-  
pense delectentur opere : nihil tamen magis a/  
ment autorem . non absimiles inhumanis hospiti-  
bus , qui quum opiparo conuiuio prolixè sint  
excepti , saturi demum discedunt domum , nullis  
habitibus gratijs ei , à quo sunt inuitati . I nunc & ho-  
minibus tam delicati palati : tam uarij gustus :  
animi præterea tam memoris & grati , tuis impen-  
sis epulum instrue . Sed tamen mi Petre tu illud  
age quod dixi cum Hythlodæo . postea tamen in-  
tegrum erit hac de re consultare denuo . Quan-  
quam si

Simos , uo-  
cat homi-  
nes nullo  
naso .

Prouerbi/  
um .

Miraco-  
latio,

24 MORI AD PET. AEGID. PRAEFATIO.

quam si id ipsius uoluntate fiat: quandoquidem  
scribendi labore defunctus: nunc sero sapio:  
quod reliquum est de ædendo: se/  
quar amicorum consilium: at/  
que in primis tuum. Va-

le dulcissime Petre

Aegidi: cum

optima

con

iuge: ac

me ut soles a-

ma: quando ego te

amo etiam plus quam soleo.



Io. Clemens. Hythlodæus. Tho. Morus. Pet. Aegid.

# SERMONIS QVEM

RAPHAEL HYTHLODAEVS VIR EXIMIUS,  
DE OPTIMO REIPUBLICAE STATV HA-  
BVIT, LIBER PRIMVS, PER ILLVSTREM  
VIRVM THOMAM MORVM INCLYTAE  
BRITANNIARVM VRBIS LONDINI  
ET CIVEM, ET VICECOMITEM.



VVM NON EXIGVI MOMEN-  
ti negocia quædam inuictissimus An-  
gliæ Rex HENRICVS eius nominis  
octauus, omnibus egregij principis  
artibus ornatissimus, cum serenissi-  
mo Castel,

mo Castellæ principe CAROLO controuersa nuper  
habuisset, ad ea tractanda, componendâq; oratore me  
legauit in Flandriam, comitem & collegam uiri incom-  
parabilis Cuthberti Tunstalli, quem sacris scrinijs nu-  
per ingenti omniū gratulatione præfecit, de cuius sane  
laudibus nihil à me dicetur, nō quod uerear ne parum  
synceræ fidei testis habēda sit amicitia, sed quod uirtus  
eius, ac doctrina maior est, q; ut à me prædicari possit,  
tum notior ubiq; atq; illuc prior, q; ut debeat, nisi uide-  
ri uelim solem lucerna, quod aiunt, ostendere. Occurre-  
runt nobis Brugis (sic enim cōuenerat) hi, quibus à prin-  
cipe negotiū demandabatur, egregij uiri omnes. in his  
præfectus Brugensis uir magnificus, princeps & caput  
erat, cæterum os & pectus Georgius Temsicius Cassi-  
letanus Præpositus, non arte solum, uerū etiam natura  
facundus, ad hæc iureconsultissimus, tractandi uero ne-  
gotiū cum ingenio, tum assiduo rerum usu eximius arti-  
fex. ubi semel atq; iterum congressi, quibusdā de rebus  
non satis cōsentiremus, illi in aliquot dies uale nobis di-  
cto, Bruxellas profecti sunt, principis oraculum sciscita-  
turi. Ego me interim (sic enim res ferebat) Antuerpiam  
cōfero. Ibi dum uersor, sâpe me inter alios, sed quo nō  
alius gratior, inuisit Petrus Aegidius Antuerpiæ natus  
magna fide, & loco apud suos honesto, dignus hone-  
stissimo, quippe iuuenis haud scio doctior ne, an mora-  
tor, est em & optimus & literatissim⁹, ad hæc animo in  
omnes

omites candido,in amicos uero tam propenso pectore  
amore,fide,adfectu tam syncero,ut uix unum aut alte-  
rum usq; inuenias,quem illi sentias omnibus amicitiae  
numeris esse conferendum. Rara illi modestia, nemini  
longius abest fucus, nulli simplicitas inest prudentior.  
porro sermone tam lepidus,& tam innoxie facetus, ut  
patriæ desyderium,ac claris domestici,uxoris,& libero-  
rum,quorum studio reuisendorū nimis q; anxie tene-  
bar(iam tum enim plus quatuor mensibus abfuerā do-  
mo)magna ex parte mihi dulcissima cōsuetudine sua,  
& mellitissima confabulatione leuauerit. Hunc quum  
die quadā in templo diuæ Mariæ,quod & opere pul-  
cherrimum,& populo celeberrimū est, rei diuinæ inter-  
fuisse,atq; peracto sacro,pararem inde in hospitium  
redire,forte colloquētem uideo cum hospite quodam,  
uergentis ad senium ætatis,uultu adusto,promissa bar-  
ba,penula neglectim ab humero dependēte, qui mihi  
ex uultu atq; habitu nauclerus esse uidebatur. At Pe-  
trus ubi me cōspexit,adit ac salutat.respondere conan-  
tem seducit paululum,& uides inquit hunc:(simul desi-  
gnabat eum cum quo loquētem uideram) eum inquit  
iam hinc ad te rectā parabam ducere. Venisset inquā  
pergratus mihi tua causa. Imo inquit ille,sī nosſes ho-  
minem,sua. Nam nemo uiuit hodie mortaliū omniū,  
qui tantam tibi hominū,terraruīq; incognitarum nar-  
rare possit historiam.quarum rerum audiendarū scio

d 2 audissv.

auidissimum esse te. Ergo inquā non pessime coniecta ui. Nam primo aspectu protinus sensi hominem esse nauclerum. Atqui inquit aberrasti longissime: nauigavit quidem non ut Palinurus, sed ut Vlysses: imo uelut Plato. Nempe Raphaēl iste, sic enim uocatur gentilicio nomine Hythlodaeus, & latīnæ linguae nō indoctus, & græcæ doctissimus (cuius ideo studiosior q̄ Romanæ fuit, quoniam totum se addixerat philosophiæ: qua in re nihil quod alicuius momenti sit, præter Senecæ quædam, ac Ciceronis extare latine cognouit) relicto fratribus patrimonio, qd' ei domi fuerat (est em Lusitanus) orbis terrarū contemplandi studio Americo Vespucio se adiunxit, atq; in tribus posterioribus illarū quatuor nauigationū quæ passim iā legūtur, perpetuus eiuscomes fuit, nisi qd' in ultima cū eo nō redijt. Curauit em atque adeo extorsit ab Americo, ut ipse in his XXIIII esset q ad fines postremæ nauigationis in Castello relinquebant. Itaq; relictus est, uti obtēperaret animo eius, peregrinationis magis q̄ sepulchri curioso. quippe cui hæc assidue sunt in ore, Cælo tegitur qui non habet unam, & Vndiq; ad superos tantundem esse uia. Quæ mens eius, nisi deus ei propitius adfuisset, nimio fuerat illi cōstatura. Cæterū postq; digresso Vespucio multas regiones cū quinq; Castellanorū comitibus emensus est, mirabili tandem fortuna Taprobanen delatus, inde peruenit in Caliquit, ubi repertis cōmode Lusitanorū nauibus

Apophthe  
gma.

*Caliquit*

nauibus, in patriā deniq; præter spem reuehitur. Hæc  
ubi narrauit Petrus, actis ei gratijs quod tā officiosus  
in me fuisset, ut cuius uiri colloquiū mihi gratum spera-  
ret, eius uti sermone fruerer, tantā rationem habuisset,  
ad Raphaēlem me conuerto, tum ubi nos mutuo salu-  
tassemus, atq; illa cōmunia dixissemus, quæ dici in pri-  
mo hospitum cōgressu solent, inde domū meam digre-  
dimur, ibiç in horto considentes in scamno cespitibus  
herbeis constrato, cōfabulamur. Narrauit ergo nobis,  
quo pacto posteaç Vespucius abierat, ipse, sociç  
eius, qui in Castello remanserant, conueniendo atque  
blandiendo cōperint se paulatim eius terræ gentibus  
insinuare, iamq; non innoxie modo apud eas, sed etiā  
familiariter uersari, tum principi cuidā (cuius & patria  
mihi, & nomen excidit) grati, chariç esse. eius liberalita-  
te narrabat cōmeatum, atq; uiaticū ipsi & quinq; eius  
comitibus assatim fuisse suppeditatū, cū itineris (quod  
per aquam ratibus, per terram curru peragebant) fide-  
lissimo duce, qui eos ad alios príncipes, quos diligēter  
cōmendati petebant, adduceret. Nam post multorum  
itinera dierum, oppida atque urbes aiebat reperiisse se,  
ac non pessime institutas magna populorum frequen-  
tia respúlicas. Nempe sub æquatoris linea tum hinc  
atq; inde ab utroq; latere quantum ferè spatijs solis or-  
bita cōpleteitur, uastas obiacere solitudines perpetuo  
feruore torridas. Squalor undiq; & tristis rerum facies

d 3 horrida

horrida atq; inculta om̄ia feris habitata, serp̄tibusq;,  
 aut deniq; hominib⁹, neq; minus efferis quam sint be-  
 luæ, neq; minus noxijs. Cæterum ubi longius euectus  
 sis, paulatim omnia māsuescere, cælum minus asperū,  
 solum uiore blandū, mitiora animantiū ingenia, tan-  
 dem aperiri populos, urbes, oppida, in his assidua non  
 inter se modo, ac finitimos, sed procul etiā dissitas gen-  
 tes, terra mariq; cōmercia. Inde sibi natam facultatem  
 multas ultro citrōq; terras inuisendi, quod nulla nauis  
 ad iter quodlibet instruebatur, in quam non ille, comi-  
 tesq; eius libentissime admittebantur. Naves quas pri-  
 mis regionib⁹ conspexerūt, carina plana fuisse narra-  
 bat, uela consutis papyris aut uitinibus intendebant,  
 alibi coriacea. post uero acuminatas carinas canabea  
 uela reppererunt. omnia deniq; nostris similia. nautæ  
 maris ac cæli nō imperiti. Sed miram se narrabat inisse  
 gratiā, tradito magnetis usu, cuius antea penitus erant  
 ignari. ideoq; timide pelago consueuisse fese, neq; aliās  
 temere, q; æstate credere. Nunc uero eius fiducia lapi-  
 dis contemnūt hyemem, securi magis, q; tuti, ut pericu-  
 lum sit, ne quæ res magno eis bono futura putabatur,  
 eadem per imprudētiām magnorum causa malorum  
 fiat. Quid quoq; in loco se uidisse narravit, & longum  
 fuerit explicare, neq; huius est operis institutum, & alio  
 fortasse loco dicetur à nobis, præsertim quicquid ex usu  
 fuerit nō ignorari, qualia sūt in primis ea, quæ apud po-  
 pulos

pulos usq; ciuiliter cōuiuentes animaduertit, recte prudenterq; prouisa. His enim de rebus & nos audiissime rogabamus, & ille libentissime disserebat, omissa interīm inquisitione monstrorū, quibus nihil est minus nōnum. Nam Scyllas & Celenos rapaces, & Lestrigonas populiuoros, atq; eiusmodi immania portēta, nusq; ferē non inuenias, at sane ac sapienter instituto ciues haud reperias ubilibet. Cæterū ut multa apud nouos illos populos adnotauit ppterā cōsulta, sic haud pauca recensuit, unde possint exempla sumi corrigendis harū urbiū, nationū, gentium, ac regnorū erroribus idonea, alio, ut dixi, loco à me cōmemoranda. Nunc ea tantum referre animus est, quæ de moribus atq; institutis narrabat Vtopiensium, præmisso tamen eo sermone, quo uelut tractu quodam ad eius mentionem reipublicæ deuentum est. Nam quū Raphaēl prudentissime recensisset, alia hic, alia illuc errata, utrobiq; certe plurima, tū quæ apud nos, quæue itē sunt apud illos cauta sapiens, quum uniuscuiusq; populi mores atq; instituta sic teneret, tanq; in quēcunq; locum diuertisset, totā ibi uitam uixisse uideretur, admiratus hominem Petrus, Minor profecto mi Raphaēl, inquit, cur te regi cuiipiā non adiungas, quorū neminē esse satis scio, cui tu non sis futurus uehemēter gratus, utpote quē hac doctrina, atq; hac locorum hominumq; peritia nō oblectare solum, sed exemplis quoque instruere, atq; adiuuare consilio

sis idoneus, siūl hoc pacto & tuis rebus egregie cōsu  
lueris, & tuorum omnīū commodis magno esse adiu  
mento possis. Quod ad meos attinet, inquit ille, nō ual  
de cōmoueor, nempe in quos mediocriter opinor me  
officij mei partes impleuisse. nam quibus rebus alij nō  
nisi senes & ægri cedunt, imo tum quoq; ægre cedunt,  
quum amplius retinere non possunt, eas res ego nō sa  
nus modo ac uegetus, sed iuuenis quoq; cognatis, ami  
ciscq; dispartiui, quos debere puto hac mea esse beni  
gnitate cōtentos, neq; id exigere atq; expectare præte  
rea, ut memet eorum causa regib; in seruitū dedam.  
Bona uerba inquit Petrus, mihi uisum est non ut ser  
uias regibus, sed ut inseruias. Hoc est inquit ille, una syl  
laba plusq; seruias. At ego sic cēleo inquit Petrus, quo  
quo tu nō nomine rē appelles, eam tamen ipsam esse uia,  
qua non alijs modo & priuatim, & publice possis cōdu  
cere, sed tuam quoq; ipsius cōditionem reddere felicio  
rem. Feliciorem ne inquit Raphaēl, ea uia facerē, à qua  
abhorret animus. Atqui nunc sic uio ut uolo, quod  
ego certe suspicor paucissimis purpuratorū cōtingere.  
Quin satis est eorum, qui potētū amicitias ambiunt,  
ne magnā putas iacturam fieri, si me atq; uno aut alte  
ro mei similibus sint carituri. Tum ego, perspicuum est  
inquā te mi Raphaēl, neq; opū esse, neq; potētiaē cupi  
dum, atq; ego pfecto huius tuæ mentis hominē nō mi  
nis ueneror ac suspicio, q; eorū quēuis, q; maxime rerū

sunt  
*inseruare vna sylla uia pfecto q; maxime*  
*fuerit.*

sunt potentes. Cæterum uidebetis planè rem te atque  
isthuc animo tuo tam generoso, tam uere philosopho  
dignam facturus, si te ita compares, ut uel cum aliquo  
priuatim inçomođo ingenium tuū atq; industriā, pu-  
blicis rebus accōmodes, quod nunç tanto cum fructu  
queas, quāto si à consilijs fueris magno alicui principi,  
eicq; (quod te facturū certe scio) recta atq; honesta per-  
suaseris. nempe à principe bonorū, malorumq; omniū  
torrens in totum populū, uelut à perenni quodā fonte  
promānat. In te uero tam absolute doctrina est, ut uel  
citra magnū rerum usum, porro tanta rerum peritia, ut  
sine ulla doctrina, egregium cōsiliariū cuiuis regum sis  
præstaturus. Bis erras, inquit ille, mi More, primum in  
me, deinde in re ipsa. nam neq; mihi ea est facultas, quā  
tu tribuis, & si maxime esset, tamē quū ocio meo nego  
cium facesserem, publicam rem nihil promoueam. Pri-  
mum em̄ principes ipsi pleriq; omnes militatibus stu-  
dijs (quorum ego neq; peritiam habeo, neq; desydero)  
libentius occupantur, q; bonis pacis artibus, maiusq;  
multo studiū est, quibus modis per fas ac nefas noua  
sibi regna pariant, q; uti parta bene administrent. Præ  
terea quicunq; regibus à consilio sunt, eorū nemo est,  
qui non aut uere tantū sapit, ut non egeat, aut tantum  
sibi sapere uidetur, ut non libeat alterius probare consi-  
lium, nisi quod absurdissimis quibusq; dictis assentiū-  
tur & supparasitatur eorū, quos ut maxime apud prin-

cipem

cipem gratiae, student assentatione demereri sibi. Et certe sic est natura comparatum, ut sua cuique inuenta blan-  
diantur. Sic & coruo suus arridet pullus, & suus simiæ  
catulus placet. Quod si quis in illo cœtu uel alienis inuidientium, uel præferentium sua, aliquid afferat, quod  
aut alijs temporibus factum legit, aut alijs fieri locis uidit, ibi qui audiunt, perinde agunt, ac si tota sapientia  
suæ periclitaretur opinio, & post illa pro stultis plane  
sint habendi, nisi aliquid sufficiente inuenire, quod in  
aliorū inuentis uertant uitio. Si cætera destituant, tum  
huc configiunt, hæc nostris, inquiunt, placuere maioribus, quorum prudentia utinam nos æquaremus. itaque  
hoc dicto ueluti egregie perorata re considerunt. Tanquam  
magnū sit periculum, si quis ulla in re deprehendatur ma-  
ioribus suis sapientior. à quibus tamen, ut quicquid opti-  
me consultū est, ita æquissimo animo ualere sinimus.  
at si qua de re potuit consuli prudentius, eam protinus  
ansam cupide arreptam mordicus retinemus. Itaque in  
hæc superba, absurda, ac morosa iudicia, cū saepè alibi,  
tum semel in Anglia quoque incidi. Obscro in qua, fu-  
isti apud nos. Fui inquit, atque aliquot menses ibi sum  
uersatus, non multo post eam cladem, qua Anglorū oc-  
cidentaliū ciuile aduersus regem bellum miserāda ipso  
rum strage cōpressum est. Interea multum debui reue-  
rendissimo patri Ioanni Mortono Cantuariensi Archi-  
episcopo & Cardinali, ac tum quoque Angliae Cancella-  
rio, uiro

rō, uiro mi Petre (nā Moro cognita sum narraturus)  
 nō autoritate magis, q̄ prudētia ac uirtute uenerabili.  
 Etenim statura ei mediocris erat, nec ætati, q̄q̄ seræ ce-  
 dens. uultus quē reuereare, nō horreas. in congressu nō  
 difficultis. serius tamen & grauis. libido erat asperius in-  
 terdum cōpellando supplicātes experiri, sed sine noxa,  
 quid ingenij, quā animi præsentia quisq; præ se ferret,  
 qua uelut cognata sibi uirtute, modo abesset impuden-  
 tia delectabatur, & ut idoneā ad res gerēdas amplecte-  
 batur. Sermo politus & efficax, Iuris magna peritia, in  
 genium incōparabile, memoria ad prodigiū usq; excel-  
 lens. Hæc em̄ natura egregia, discendo atq; exercendo  
 puexit. Huius cōsilijs rex plurimū fidere, multū Resp.  
 niti (cū ego aderā) uidebatur. quippe qui ab prima ferē  
 iuuenta protinus à schola cōiectus in aulā, maximis in  
 negocijs per omnē uersatus ætatē, acuarijs fortunæ æsti-  
 bus assidue iactatus prudentiā rerum (quæ sic recepta  
 nō facile elabitur) multis, magnisq; cū periculis didice-  
 rat. Forte fortuna quū die quodā in eius mensa essem,  
 laicus quidam legum uestratiū peritus aderat, is nescio  
 unde nactus occasionē, cœpit accurate laudare, rigidā  
 illā iustitiā, quæ tū illic exercebat in fures, quos passim  
 narrabat nōnuncq; suspēdi uiginti in una crucē, atq; eo  
 uehementius dicebat se mirari, cū tam pauci elaberent  
 supplicio, quo malo fato fieret, uti tā multi tamē ubiq;  
 grassarent. Tum ego, ausus em̄ sum libere apud Cardi-  
 nalem

De legib⁹  
parū aeq⁹

nalem loqui: nihil mireris inquā. Nam hæc punitio fūrum & supra iustum est, & nō ex usu publico. Est enim ad vindicanda furtæ nimis atrox, nec tamē ad refrenanda sufficiens. Quippe neq; furtum simplex tam ingēs facinus est, ut capite debeat plecti, neque ulla poena est tanta, ut ab latrocinij cohibeat eos, qui nullam aliā artem quærendi uictus habent. Itaq; hac in re non uos modo, sed bona pars huius orbis imitari uidetur malos præceptores, qui discipulos uerberant libentius cōp docent. Decernūtur enim furanti grauia atq; horrēda supplicia, cum potius multo fuerit prouidendū, uti alius quis esset prouentus uitæ, ne cuiq; tam dira sit furandi primū, dehinc pereundi necessitas. Est inquit ille, satis hoc prouisum: sunt artes mechanicæ, est agricolatio, ex his tueri uitā liceat, nī sponte malū esse mallent. At non sice uades inquā. Nam primū omittamus eos, qui sæpe uel ab externis bellis, uel ciuilibus mutili redeūt domum, ut nuper apud uos ē Cornubiensi prælio, & non ita pridem ē Gallico, qui uel Reip. impendūt mēbra, uel regi, quos neq; pristinas artes exercere debilitas patitur, neq; ætas nouam discere. hos inquā omittamus, quando bella per intermissas uices cōmeant. Ea cōtem plēmur, quæ nullo die nō accidunt. Tantus est ergo nobilium numerus, qui nō ipsi modo degant ociosi tanq; fuci laboribus aliorū, quos puta suorū prædiorū colo nos augēdis redditibus ad uiuū usq; radunt. Nam eam

Qua ratio  
ne fieri pos  
sit, ne tam  
multi sint  
fures.

solam

solam frugalitatem nouere, homines alioquin ad men-  
dicitatem usq; prodigi: uerū immensam quoq; ocioso-  
rum stipatorum turbam circūferunt, qui nullam unq;  
quærēdi uictus arte didicere. Hi simul atq; herus obie-  
rit, aut ipsi ægrotauerint, eiſciuntur ilico. nam & ociosos  
libentius q; ægrotos alunt, & sæpe morientis heres nō  
ptinus alendæ sufficit paternæ familiæ. interim illi esu-  
riunt strenue, nisi strenue latrocinētur. Nam quid fa-  
ciant? Siquidē ubi errando paululū uestes ac ualetudi-  
nem attruere, morbo iam squalidos, atq; obsitos pan-  
nis, necq; generosi dignātur accipere, neq; audent rusti-  
ci: non ignari eum qui molliter educatus in ocio ac deli-  
cīs, solitus sit accinētus acinace accetra, totam uiciniā  
uultu nebulonico despícere & contemnere omnes præ-  
se, haudquaq; idoneum fore, qui cum ligone ac marra,  
maligna mercede ac uictu parco, fideliter inferuiat pau-  
peri. Ad hæc ille, atqui nobis inquit, hoc hominum ge-  
nus in primis fouendū est. In his enim, utpote homini-  
bus animi magis excelli ac generosioris, q; sunt opifi-  
ces aut agricolæ, consistunt uires ac robur exercitus, si  
quando sit cōfligendū bello. Profecto inquā ego, eadē  
opera dicas licet, belli gratia fouēdos esse fures, quibus  
haud dubie nunq; carebitis, dum habebitis hos. Quin  
neq; latrones sunt instrenui milites, neq; milites igna-  
uissimi latronū, adeo inter has artes belle conuenit. At  
hoc uitium tamē frequens est uobis, nō propriū. est em-

omniū ferē gentiū cōmune. Nam Gallias infestat alia  
præterea pestis pestilentior. Tota patria stipendiarijs,  
in pace quoq; (si illa pax est) oppleta atq; obfessa mili-  
tibus, eadem persuasione inductis, qua uos ociosos hic  
ministros alendos esse cēsuistis. nempe quod Moroſo,

Quā per phis uisum est, in eo sitam esse publicam salutem, si in  
niciē adſerant perpe promptu ſemper adſit ualidum, firmumq; præſidium,  
tua militū maxime ueteranorū. necq; enim cōfidunt in exercitatis  
præſidia. quicq;. ut uel ideo quārendū eis bellum sit, ne imperi-  
tos habeāt milites, & homines iugulandi gratis. ne (ut  
habet facete Salustius) manus aut animus incipiat per  
ocium torpescere. At quām sit pernicioſum huiusmodi  
beluas alere, & Gallia ſuo malo didicit, & Romanorū,  
Carthaginensium, ac Syrorum, tum multarū gentium  
exempla declarant, quorū omniū non imperiū modo,  
ſed agros quoq;, atq; adeo urbes ipsas parati ipsorum  
exercitus alijs atq; alijs occaſionibus euerterūt. Quām  
uero nō magnopere necessariū, uel hinc eluſeſcit, quod  
ne Galli quidem milites armis ab unguiculis exercita-  
tiſſimi cum euocatis comparati ueſtriſ, admodū ſaþe  
gloriantur ſuperiores ſeſe diſceſſiſe, ut ne quid dicam  
amplius, ne præſentibus uidear ad blandiri uobis. Sed  
nec ueſtri illi uel opifices urbici, uel rudes atq; agrestes  
agricolæ ociosos generoſorū ſtipatores creduntur ual-  
de pertimescere, niſi aut hi quibus ad uires atq; auda-  
ciam corpus contigit ineptius, aut quorum animi uis  
inopia

inopia rei familiaris infringitur, adeo periculū nullum est, ne quorū ualida & robusta corpora (neq; enim nisi selectos dignantur generosi corrumpere) nunc uel elan guescūt ocio, uel negocijs propè muliebribus emolliuntur. ijdem bonis artibus instructi ad uitam, & uirilibus exercitati laboribus effeminentur. Certe utcunq; sese hæc habet res, illud mihi nequaç; uidetur publicæ rei conducere, in euuentum belli, quod nunç; habetis, nisi quum uultis, infinitam eius generis turbam alere, quod infestat pacem, cuius tanto maior haberi ratio, quā m bellī debeat. Neque hæc tamen sola est furandī necessitas. Est alia magis quantum credo, peculiaris uobis. Quænam est ea inquit Cardinalis. Ques inquam uestræ, quæ tam mites esse, tamq; exiguo solent ali, nunc (uti fertur) tam edaces atq; indomitæ esse cceperunt, ut homines deuorēt ipsos, agros, domos, oppida uastent ac depopulentur. Nempe quibuscunq; regni partibus nascitur lana tenuior, atque ideo preciosior, ibi nobiles & generosi, atq; adeo Abbates aliquot sancti uiri, non his contenti redditibus, fructibusq; annuis, qui maiori bus suis solebant ex prædijs crescere, nec habētes satis, quod ociose ac laute uiuentes, nihil in publicū prosint, nisi etiā obsint, aruo nihil relinquunt, omnia claudunt pascuis, demoluntur domos, diruunt oppida, templo duntaxat stabulandis ouibus relicto, & tanq; parum soli perderent apud uos ferarum saltus, ac uiuaria, illi boni

Omnis Anglia  
omnes ut  
redirebant  
Graue domos  
rapt, uagos,  
domos, &c  
oppida  
mysticæ  
3

boni uiri habitationes omnes, & quicquid usque est culti,  
uertunt in solitudinem. Ergo ut unus helluo inexplebi  
lis ac dira pestis patriæ, cotinuatis agris, aliquot millia  
iugerum uno circu det septo, ejciuntur coloni quidam,  
suis etiam aut circu scripti fraude, aut ui oppressi exuun  
tur, aut fatigati iniurijs, adiguntur ad uenditionem. Itaque  
quoquo pacto emigrant miseri, uiri, mulieres, mariti,  
uxores, orbi, uiduae, paretes cum paruis liberis, & nume  
rosa magis quam diuite familia, ut multis opus habet ma  
nibus res rustica, emigrant inquam e notis atque assuetis  
laribus, nec inueniunt quo se recipiant, supellecstile omnem  
haud magno uendibilem, etiam si manere possit empto  
rem, quem extrudi necesse est, minimo uenudant. id quem  
breui errando insumpserint, quid restat aliud denique,  
quam uti surentur, & pendeant iuste scilicet, aut uagentur  
atque mendicent. quanque tum quoque uelut errores con  
sciuntur in carcerem, quod ociosi obambulent, quorum  
operam nemo est qui conducat, quem illi cupidissime offe  
rant. Nam rusticæ rei cui assueuerunt nihil est quod aga  
tur, ubi nihil seritur. Siquidem unus opilio atque bubul  
cus sufficit ei terræ depascendiæ pecoribus, in cuius cul  
tum, ut sementi faciendæ sufficeret, multæ poscebantur  
manus. Atque hac ratione fit, ut multis in locis annona  
multo sit carior. Quin lanarum quoque adeo increvit  
precium, ut à tenuioribus, qui panos inde solent apud  
uos confidere, prorsus emi non possint, atque ea ratione  
plures

plures ab opere ablegantur in ocium. Nam post aucta  
 pascua infinitam ouium uim absumpsit tabes, uelut eo  
 rum cupiditatē ulciscente deo immissa in oves lue, quā  
 in ipsorum capita contortam esse fuerat iustius. Quod  
 si maxime increseat ouium numerus, precio nihil decre  
 scit tamen, quod earum, si monopolium appellari non  
 potest quod nō unus uendit, certe oligopolium est. Re  
 ciderunt enim ferè in manus paucorum, eorundemq;  
 diuitū, quos nulla necessitas urget ante uendēdi quām  
 libet, nec ante libet quām liceat quanti libet. Iam cætera  
 quoque pecorum genera, ut æque cara sint, eadem ra  
 tio est, atq; hoc etiam amplius, quod dirutis uillis, atq;  
 imminuta re rustica non sint qui foeturam curent. Ne  
 q; enim diuites illi, ut ouium, sic etiam armentorum fœ  
 tus éducant: sed aliunde macra empta uili, posteaq; su  
 is pascuis pinguerint, magno reuendunt. Ideoq; sicuti  
 reor, nondum sentitur totum huius rei incommodum.  
 Nempe adhuc his modo locis reddunt cara, ubi uen  
 dunt. cæterum ubi aliquandiu celerius extulerint illinc,  
 quām nasci possint, tū demū ibi quoq; paulatim decre  
 scente copia, ubi coëmuntur, necesse est hic insigni labo  
 retur inopia. Ita qua re uel maxime felix hæc uestra ui  
 debatur insula, iam ipsam paucorum improba cupiditi  
 tas uertit in perniciem. Nam hæc annonæ caritas in  
 causa est, cur quisq; quām possit plurimos è familia di  
 mittat, quo quælo nisi mendicatum, aut quod genero

Oligopolium.

sis animis persuadeas facilius latrocinatū? Quid quod ad miseram hanc egestatem, atq; inopiam adiungitur, importuna luxuries. Nam & ministris nobilium, & opificibus, & ipsis propemodū rusticis, & omnibus deniq; ordinibus, multū est insolētis apparatus in uestibus, ni mihi in uiectu luxus. Iā ganea, lustra, lupanar, & aliud lupanar tabernæ, uinariæ, ceruisiariæ, postremo tot improbis ludi, alea, charta, frīillus, pila, sphæra, discus, an non hæc celeriter exhausta pecunia, recta suos mystas mittunt aliquò latrocinatum? Has pernicioſas pestes ejicite, statuite, ut uillas atq; oppida rustica, aut hi restuant qui diruere, aut ea cedant reposituris, atq; ædificare uolentibus. Refrenate coëmptiones istas diuitum, ac uelut monopolij exercendi licentiā. Pauciores alant ocio, reddatur agricolatio, lanifictum instauretur, tū sit honestum negotiū, quo se utiliter exerceat ociosa ista turba, uel quos hactenus inopia fures fecit, uel qui nūc errores aut ociosi sunt ministri, fures nimirum utriq; futuri. Certe nisi his malis medemini, frustra iactetis exercitam in uindicanda fulta iustitiam, nempe speciam magis, c̄q; aut iusta aut utilem. Siquidē quū pessime sinitis educari, & mores paulatim ab teneris annis corrūpi, puniendos uidelicet, tum demū quū ea flagitia uiri designent, quorum spem de se perpetuā à pueris usq; præbuerāt, quid aliud quæſo c̄q; facitis fures, & īdem plectitis. Iam me hæc loquente iuris ille consulens inten-

tus interim se ad dicendum composuerat, ac statuerat secum modo illo solenni disputantium uti, qui diligenter repetunt q̄z respondent, adeo bonam partem laudis ponunt in memoria. Belle, inquit, dixisti profecto, quum sis uidelicet hospes, qui magis audire his de rebus aliquid potueris, q̄z exakte quicq; cognoscere, id quod ego paucis efficiam perspicuum. Nam primum ordine recensebo quæ tu dixisti. deinde ostendam quibus in rebus imposuit tibi nostrarum rerum ignoratio, postremo rationes tuas omnes diluam atq; dissoluam. Igitur ut à primo quod sum pollicitus exordiar, quatuor mihi uisus es: Tace inquit Cardinalis: nam haud responsurus paucis uideris qui sic incipias. Quā obrem leuabimus in præsenti te hac respondendi molestia, seruaturi tamen integrum id munus tibi in proximum congressum uelstrum, quem (nisi quid impedit, aut te, aut Raphaelē hunc) crastinus dies uelut referat. Sed interim abste mi Raphael perquam libeter audierim, quare tu furtū putes ultimo supplicio nō puniendum quamue alias penam ipse statuas, quæ magis conduceat in publicum. Nam tolerandum ne tu quidem sentis. At si nunc per mortem quoq; tamen in futurum ruitur, proposita semel uitæ securitate, quæ uis, quis metus posset abstergere maleficos: qui mitigatione supplicij uelut præmio quodam ad maleficium se inuitatos interpretaretur? Qmnino mihi uidetur inquā

Expressit  
morem et  
Cardinali  
familiarē  
interpellā,  
di si quis  
loquacius  
ageret.

pater benignissime homini uitā eripi propter ereptam pecuniam prorsus iniquum esse. Siquidem cum humana uita ne omnibus quidē fortunæ possessionibus paria fieri posse arbitror. Quod si læsam iustitiam, si leges uiolatas, hac rependi poena dicant, haud pecuniā: quid ni merito summum illud ius, summa uocetur iniuria:

Maniana  
imperia  
ex Liuio.

Nam neq; legū probanda sunt tam Maniana imperia, ut sicub; in leuissimis parum obtemperetur, illico stringant gladium: neq; tam Stoica sc̄ita, ut omnia peccata adeo existiment paria, uti nihil iudicent interesse, occidat ne aliquis hominem, an nummum ei surripiat, inter quæ (si quicq; æquitas ualet) nihil ominino simile aut affine. Deus uetuit occidi quenq;, & nos tam facile occidimus ob ademptā pecuniolam? Quod si quis interpretetur, illo dei iussu interdictam necis potestatem, nisi quatenus humana lex declaret occidēdū, quid obstat quo minus homines eodem modo constituant inter se, quatenus stuprum admittendum sit, adulterādum, peierandum? Siquidem quum deus non alienæ modo, uerum etiam suæ cuique mortis ius ademerit, si hominum inter se consensus de mutua cede, certis platis consentientium, adeo debet ualere, ut illius præcepti uinculis eximat suos satellites, qui sine ullo exemplo dei, eos interemerint, quos humana sanctio iussit occidi: an non hoc pacto præceptum illud dei tantum iuris est habituum, quantū humana iura permiserint?

ac fiet

ac fiet nimirum ut ad eundem modum omnibus in rebus statuant homines, quatenus diuina mandata conueniat obseruari. Denique lex Mosaica, quanç inde mens & aspera: nempe in seruos, & quidem obstinatos lata, tamē pecunia furtum haud morte mulctauit. Ne putemus deum in noua lege clemētiæ: qua pater imperat filijs maiorem indulssisse nobis inuicem sœuiendi licentiam. Hæc sunt cur non licere putem. Quam uero sit absurdum, atq; etiam perniciosum reipub. furem, atq; homicidam ex æquo puniri, nemo est, opinor, qui nesci at. Nempe quum latro conspiciat non minus imminere discriminis duntaxat furti damnato, q; si præterea conuincatur homicidiij, hac una cogitatione impellitur in cædem eius, quem alioqui fuerat tatum spoliatus, quippe præterç quod deprehenso nihil sit plus periculi, est etiā in cæde securitas maior, & maior cælādi spes sublato facinoris indice. Itaq; dū fures nimis atrociter studemus perterrefacere, in bonorum incitamus perniciem. Iam quod quæri solet: quæ punitio possit esse cōmodior: hoc meo iudicio haud paulo facilius est reperitu: q; quæ possit esse deterior. Cur enim dubitemus eā uiam utilem esse castigādis sceleribus: quā scimus olim tam diu placuisse Romanis administrandæ reipub. peritissimis? Nempe hi magnorum facinorum cōuictos in lapidicinas, atq; fodienda metalla damnabant, perpetuis adseruādos uinculis. Quanç ego quod ad hāc

rem attinet, nullius institutū gentis magis pbo, quām  
 id quod interea dū peregrinabar, in Perside obserua-  
 tum apud uulgo dictos Polyleritas adnotaui, populū  
 neq; exiguū, neq; imprudenter institutū, & nīsi quod  
 tributum quotannis Persarū pendit regi: cætera liberū  
 ac suis pmissum legibus. Cæterz quoniā longe ab ma-  
 ri, montibus ferè circūdati, & suæ terræ nulla in re mali-  
 gne cōtentī fructibus, neq; adeūt alios sæpe, neq; adeū-  
 tur, tamē ex uetusto more gentis, neq; fines prorogare  
 student, & quos habent ab omni facile iniuria, & mon-  
 tes tuent, & pensio quā rerum patienti persoluunt, im-  
 munes prorsus ab militia, haud perinde splēdide, atq;  
 cōmode, felicesq; magis quām nobiles, aut clari degūt.  
 quippe ne nomine quidē opinor, præter q̄z contermi-  
 nis admodum, satis noti. Ergo apud hos furti qui per-  
 aguntur, quod sustulere domino reddūt, non, quod ali-  
 bi fieri solet, principi: utpote cui tantū iuris esse censent

in rem furtiuam quantū ipsi furi: Sin res perierit, pre-  
 cīo ex bonis furum confecto, ac persoluto tum reliquo  
 uxoribus eorū, atq; liberis integro, ipsi damnantur in  
 opera, ac nīsi atrociter cōmissum furtū est, neq; claudū-  
 tur ergastulo, neq; gestant compedes, sed liberi, ac solu-  
 ti in publicis occupantur operibus, detrectantes ac lan-  
 guidius gerentes se: non tā uī nculis coherent quām  
 excitant uerberibus, strēnuām nauantes operā, absunt  
 à contumelijis, noctu tantū nominatim censiti cubiculis  
 includunt

Annotation  
dum nobis  
qui secus  
facimus,

induduntur: præter assiduum laborem nihil incómodi est in uita. Aluntur enim haud duriter qui publicæ rei seruiūt, è publico. alibi aliter. Siquidē alicubi quod im penditur in eos ex eleemosyna colligitur, atq; ea uia c̄p c̄p incerta: tamen ut est ille populus misericors nulla re perit uberior. alibi redditus quidā publici ad id destinātur. Est ubi certum in eos usus tributum uiritim conserunt. Quin aliquot in locis nullum publicum opus faciūt, sed ut priuatus quisq; eget mercenarijs, ita illorum cuiuspīam in eum diem operam, stata mercede condūcit apud forum, paulo minoris quām quanti liberā fuit conducturus: præterea fas est seruilem ignauia flāgris corripere. Sic fit uti nunq; opere careant: & præter uictum aliquid quoq; die ab singulis publico inferat ærario. Vno quodam colore uestiuntur & omnes & soli, capillo non abraso uerum paulo supra auriculas at tonso, è quarum altera paululum præscindit. Cibum cuiq; ab amicis dari, potuīq; ac sui coloris uestem, licet pecuniam datam esse danti pariter, atq; accipiēti capitale, neq; minus periculosum etiā homini libero quam de causa nummum à damnato recepisse, & seruos item (sic enim damnatos uocant) arma contingere. Suos quæq; regio propria distinguit nota, quām abiecte capitale est, ut uel extra suos conspici fines, uel cū alterius regionis seruo quicq; esse collolutum. At neq; tūtor fugæ meditatio c̄p ipsa est fuga. Quin conscientia talis fuisse.

At idē ho-  
die famuli  
nobilium  
pulchrum  
sibi ducūt

talis fuisse cōsilij in seruo nex est: in libero seruitus. Cōtra indici præmia decreta sunt: libero pecunia, seruo libertas. utriq; uero uenia atq; impunitas consciētiae, ne quando persequi malum consilium q; pœnitere sit tu-tius. Huius rei hæc lex atq; hic ordo est, quem dixi. qui quātum habeat humanitatis & commodi, facile patet. quando sic irascitur, ut uitia perimat seruatis homini-bus, atq; ita tractatis, ut bonos esse necesse sit. & quan-tum ante damni dederunt, tantum reliqua uita resarti-ant. porrò ne ad pristinos relabantur mores, adeo nul-lus est metus, ut uiatores quoq; quibus iter aliquò in-stitutum est, non alijs uiæ ducibus sese tutioreis arbitrē-tur, q; seruis illis ad quamq; regionem subinde cōmu-natis. Nempe ad perpetrandum latrocinium nihil ha-bent usquām non importunum: manus inermes: pecu-nia tantum sceleris index: deprehenso parata uindicta-neq; spes ulla prorsus fugiendi quoquām. Quo enim pacto falleret ac tegeret fugam: homo nulla uestiū par-te populo similis: nisi abeat nudus: quin sic quoq; fugi-entem proderet auricula. At ne initio saltē consilio cō-iurent in tempub. id demum scilicet periculū est. quasi in tantam uenire spem ulla poslit uicinia non tentatis ac sollicitatis ante multarum regionū seruitijs. quæ tan-tum absunt à facultate conspirandi: ut ne cōuenire qui-dem: & colloqui aut salutare se mutuo liceat: ut credan-tur interim id consilium intrepide credituri suis: quod reticentibus

reticentibus periculorum, prodentibus maximo esse bo-  
no sciant. Quum contra nemo sit prorsus exspes, obe-  
diendo ac preferendo, bonamq; de se prebendo spem,  
emendationis in posterum uitæ, posse his modis fieri,  
ut libertatē aliquando recuperet, quippe nullo non an-  
no restitutis aliquot cōmendatione patiētæ. Hæc quū  
dixisse atq; adiecissem nihil mihi uideri causæ, quare  
non hic modus haberi uel in Anglia possit, multo ma-  
iore cū fructu, quam illa iustitia, quam iuris ille peritus  
tantopere laudauerat. Sub hæc ille, nempe iureconsul-  
tus, Nunq; inquit istud sic stabiliri queat in Anglia, ut  
nō in summum discrimen adducat remp. & simul hæc  
dicens, cōmóuít caput, ac distorsit labrum, atq; ita con-  
ticuit. Et omnes qui aderant, pedibus in eius ibant sen-  
tentiā. Tum Cardinalis nō est, inquit, prodiue diuina-  
re, commode ne an secus res cessura sit, nullo prorsus fa-  
cto periculo. Verū si pronuntiata mortis sententia, dif-  
ferri executionem iubeat princeps, atq; hūc experiatur  
morem, cohibitis asylorū priuilegijs. Tum uero si res  
comprobetur euentu esse utilis, rectum fuerit eam sta-  
biliri. alioqui tunc quoq; afficere supplicio eos, qui sunt  
ante damnati, necq; minus ē republika fuerit, neq; ma-  
gis iniustum, quam si nunc idē fieret, nec ullum interea  
nasci ex ea re potest periculum. Quin mihi certe uiden-  
tur errores quoq; ad eundē posse modum nō pessime  
tractari, in quos hastenustā multis æditis legibus, nihil

g promouimus

Festiuus  
dialogus  
fratris &  
morionis.

promouimus tamē. Hæc ubi dixit Cardinalis, quæ me narrante contempserant omnes, eadem nemo non certatim laudibus est prosequutus, maxime tamen illud de erronibus, quoniam hoc ab ipso adiectum est. Ne scio an quæ sunt secuta silere prestiterit, erant enim ridicula, sed narrabo tamen, nam non erant mala, & alii quid ad hanc rem pertinebant. Adstabat forte parasitus quidā, qui uideri uolebat imitari motionē, sed ita simulabat, ut propior uero esset, tā frigidis dictis captā risum, ut ipse saepius, q̄ dicta sua rideretur. Excidebant homini tamē interdū quædam, adeo non absurdā, ut fidem adagio facerēt, crebro iactu iaci aliquādo Vene rem. Is ergo, dicente quodam è conuiuis: Iam meo sermone bene, p̄uisum esse furibus, atq; à Cardinale etiā cautum de erronibus, restare nunc uti his præterea consuleretur publicitus, quos ad egestatē morbus aut senectus impulsisset, atq; ad labores unde uiui possit, reddi disset impotes. Sine, inquit, me, nam ego & hoc recte ut fiat uidero. Etenim hoc genus hominum misere cupio aliquò è cōspectu amoliri meo, ita me male uexarūt sape, cum querulis illis opplationibus flagitarent pecuniam, quas nunq; tamen tam commode potuerunt occinere, ut nummum à me extorquerent. Quippe semp alterum euenit, ut aut non libeat dare, aut ne liceat quidem, quando nihil est quod detur. Itaq; nunc cœperūt sapere, nam ne perdant operam, ubi me præterire uident, præter

dent, prætermittunt taciti, ita nihil à me sperant amplius, non hercule magis quām si essem sacerdos. Sed illos ego mendicos omnes lata lege distribui ac dispartiri iubeo in Benedictinorum cœnobia, & fieri laicos ut uocant monachos: Mulieres moniales esse impero. Subsistit Cardinalis & approbat ioco, cæteri etiam serio. Cæterum Theologus quidam frater hoc dicto in sacerdotes ac monachos adeo est exhilaratus, ut iam ipse quoq; cœperit ludere homo alioqui prope ad toruitatem grauis. At ne sic quidem, inquit, extricaberis à mendicis, nisi nobis quoq; prospexeris fratribus. Atqui, inquit Parasitus, hoc iam curatum est. Nam Cardinalis egregie prospexit uobis quum statueret de cohercendis, atq; opere exercendis erronibus, nam uos estis erones maximi. Hoc quoque dictum, quum coniectis in Cardinalem oculis eum uiderent non abnuere, cœperunt omnes non illibenter arripere, excepto fratre. Nam is (neque equidē miror) tali perfusus aceto, sic indignatus est, atque incanduit, ut nec à conuicijs quidem potuerit temperare: hominem uocauit nebulonem, detractorem, susurronem, & filium perditionis, minas interim terribiles citans è scriptura sacra. Iam scurra serio scurrari cœpit. & erat planè in sua palæstra. Noli, inquit, irasci bone frater, scriptum est, in patientia uestra possidebitis animas uestras. Rursum frater (referam enim ipsius uerba) non irascor,

Prouerbii  
uulgo ia/  
statū apud  
mendicos.

Allusit ad  
illud Hora  
tianum, ita  
lo pfusus  
aceto.

Vt seruat decorū in narratiōe; inquit furcifer, uel saltēm non pecco. Nam Psalmista dicit, Irascimini & nolite peccare. Admonitus deinde frater à Cardinale suauiter, ut suos affectus compesceret, Non domine, inquit, ego loquor nisi ex bono zelo sicut debedo, Nam uiri sancti habuerunt bonū zelum, unde dicitur, Zelus domus tuæ comedit me.

Apparet fratrem ob imperitiā, zelus abusum neu tro genere, sic uocat hoc scelus. & canitur in ecclesijs, Irrisores Helizei, dum concendit domum dei, zelus calui sentiunt, sicut fortasse sentiet iste derisor, scurra, ribaldus. Facis inquit, Cardinalis bo no fortassis affectu, sed mihi uideris facturus, nescio an sanctius, certe sapientius, si te ita compares, ne cum homine stulto & ridiculo ridiculum tibi certamen insti tuas. Non domine inquit, non facerem sapientius. Nā Solomon ipse sapientissimus dicit: Responde stulto se cundum stultitiam eius, sicut ego nunc facio, & demon stro ei foueam in quam cadet, nisi bene præcaueat. Nam si multi irrifores Helizei, qui erat tātum unus cal uus, senserunt zelus calui, quāto magis sentiet unus derisor multorum fratrum, in quibus sunt multi calui? & etiam habemus bullam Papalem, per quā omnes qui derident nos, sunt excommunicati. Cardinalis, ubi uidit nullum fieri finem, nutu ablegato parasito, ac aliam in rem commodum uerso sermone, paulo post surgit ē mensa, atque audiendis clientum negotijs dedit se, nos qđ dimisit. En mi More, quām longo te sermone onera ui, quod tam diu facere planè puduisset me, nisi tu & cupide

cupide flagitiales, & sic uidereris audire, tanquam nol/  
les quicquam eius confabulationis omitti, quae quan/  
quam aliquanto perstrictius, narranda tamē mihi fuit  
omnino propter eorum iudicium, qui quae me dicente  
spreuerant, eadē rursus euestigio nō improbante Car  
dinalē, etiam ipsi comprobarunt, usq; adeo assentantes  
ei, ut parasiti quoq; eius inuentis, quae dominus per io  
cum non aspernabatur, ad blandirentur & serio prope  
modū admitteret. Ut hinc possis aestimare quanti me  
ac mea cōsilia aulici forēt aestimatū. Profecto mi Ra  
phael inquā magna me affecisti uoluptate, ita sunt abs  
te dicta prudenter simul & lepide omnia, præterea ui  
sus mihi interim sum, non solū in patria uersari, uerum  
etiam repuerascere quodāmodo iucunda recordatione  
Cardinalis illius, in cuius aula puer sum educatus, cuius  
uiri memoriae quod tu tam impense faues, non credas  
mi Raphaēl quanto mihi sis effectus hoc nomine cha  
tior. cū essem alioqui charissimus. Cæterum nō possum  
adhuc ullo pacto meā demutare sententiā, quin te pla  
nè putem, si animū inducas tuum, uti ne ab aulis princi  
pum abhorreas, in publicum posse te tuis consilijs plu  
rimū boni cōferre. quare nihil magis incumbit tuo, hoc  
est boni uiri, officio. Si quidem cū tuus censeat Plato,  
resp. ita demum futuras esse felices, si aut regnēt philo  
sophi, aut reges philosophentur, q; procul aberit felici  
tas, si philosophi regibus nec dignentur saltē suum im  
g; ; partiri

partiri consiliū? Non sunt, inquit, ille tam ingratii, quin id libenter faceret, imo multi libris aeditis iam fecerūt, si hīj qui rerum potiuntur essent parati, bene consultis parere. Sed bene haud dubie p̄tauidit Plato, nisi reges philosophentur ipsi, nunq̄z futurū, ut peruersis opinio nibus à pueris imbuti, atq; infecti penitus philosophā tium cōprobent consilia: quod ipse quoq; experiebat apud Dionysiu. An non me putas, si apud aliquē regū decreta sana pponerem, & perniciosa malorū semina, conater illi euellere, p̄tinus aut eiſciēdum aut habendū ludibrio? Age finge me apud regē esse Gallorū, atq; in eius cōsidere cōsilio, dū in secretissimo secessu pr̄siden te rege ipso, in corona prudentissimorum hominum, magnis agitur studijs, qbus artibus ac machinamētis Mediolanū retineat, ac fugitiuā illam Neapolim ad se retrahat: postea uero euertat Venetos, ac totā Italīa subiūciat sibi. deinde Flandros Brabātos, totā postremo Burgundiā suæ faciat ditionis. Atq; alias pr̄terea gentes, quarū regnū iam olim animo inuasit. Hic dū alias sua det feriendū cū Venetis foedus tantisper duraturū, dū ipsis fuerit commodum, cum illis communicandum cōsiliū. quin deponendam quoq; apud eosdem aliquā pr̄dā partem, quam rebus ex sententia peractis repeat, dum alius consulit conducendos Germanos, alius pecunia demulcendos Eluetios. Alius aduersus numerū imperiorū majestatis, auro, uelut anathemate, propi

Tecte Gal  
los dehor  
taſ ab Ita  
lia paran  
da.

Eluetiſ cō  
ductiſ.

propitiandum. Dum alij uidetur cum Arragonum rege componendas esse res, & alieno Nauariae regno, uelut pacis authoramento cedendum: Alius interim censet Castelliae principem aliqua spe affinitatis irretiendum, atq; aulicos nobiles aliquot in suam factionem certa pensione esse pertrahendos. Dū maximus omniū nodus occurrit, quid statuendum interim de Anglia sit. Cæterum de pace tractandum tamen, & constringenda firmissimis uinculis, semper infirma societas, amici uocentur, suspiciantur ut inimici. Habendos igitur paratos, uelut in statione Scotos, ad omnem intentos occasionem, si quid se commoueant Angli protinus immittendos. Ad hæc fouendum exulem nobilē aliquem occulte, nāq; id aperte ne fiat prohibent fœdera, qui id regnum sibi deberi contendat, ut ea uelut ansa contineat, suspectum sibi principem. Hic, inquā, in tanto rerum molimine, tot egregijs uiris ad bellum sua certatim consilia conferentibus, si ego homuncio surgam, ac uerti iubeam uela, omittendam Italianam censem & domi dicam esse manendū, unū Galliæ regnū ferè maius esse, q; ut cōmode possit ab uno administrari, ne sibi putet rex de alijs adiūciēdis esse cogitādū. Tū si illis pponerem decreta Achoriorū populi, Vtopieniū insulæ ad Euronoton oppositi, q; quū, olim bellum gessissent, ut regi suo aliud obtinerent regnum, quod affinitatis antiquæ causa sibi contendebat hæreditate deberi,

Exemplū  
annotādū.

deberi, consequuti tandem id, ubi uiderunt nihilo sibi minus esse molestiae in retinendo, quam in quærēdo pertulerūt, uerum assidua pulullare semina, uel internae rebellionis, uel externae incursionis, in deditos ita semper aut pro illis, aut contra pugnandum, nunque dari facultatem dimittendi exercitus, compilari interim se, efferti foras pecuniam, alienæ gloriolæ suum impendi sanguinem, pacem nihilo tutiore, domi corruptos bello mores, imbibitam latrocinandi libidinē, confirmatam cædibus audaciam, leges esse contemptui, quod rex in duorum curam regnorū distractus, minus in utrumuis animum posset intendere. Cum uideret alioqui tantis malis nullum finem fore, inito tādem consilio, regi suo humanissime fecerunt optionem retinēdi utrius regni uellet, nam utriusque nō fore potestatem, se plures esse, quam qui à dimidiato possint rege gubernari, quū ne mo sit libenter admissurus mulionē sibi cum alio communē. Ita coactus est ille bonus princeps, nouo regno cuiquam ex amicis relicto (qui breui etiam post electus est) antiquo esse contetus. Præterea si ostenderet omnes hos conatus bellorum, quibus tot nationes eius causa tumultuarentur, quum thesauros eius exhaustissent, ac destruxissent populum, aliqua tandem fortuna frustra cessuros tamē, proinde auitum regnum coleret, onaret quantū posset, & faceret quam florētissimū. Amet suos & ametur à suis, cum his unā uiuat, imperetque suauiter,

atque

atq; alia regna ualere sinat, quando id quod nūc ei con-  
tigisset, satis amplum superq; esset. hanc orationē qui-  
bus auribus mi More, putas excipiendam? Profecto  
nō ualde pronis inquam. Pergamus ergo inquit, si con-  
siliarijs cum rege quopiam tractantibus, & cōminiscen-  
tibus quibus technis ei queant coaceruare thesauros,  
dum unus intendendam cōsulit aestimationem mone-  
tæ, quum ipsi sit erogāda pecunia. deñciendam rursus  
infra iustum, quū fuerit corroganda. uti & multū æris  
paruo dissoluat, & pro paruo multum recipiat: Dum  
alius suadet ut bellū simulet, atq; eo prætextu coacta  
pecunia cum uisum erit, faciat pacē, sanctis ceremonijs,  
quo plebeulæ oculis fiat præstigium, miseratus uideli-  
cet humanum sanguinem princeps pius: Dum aliis ei  
suggerit in mētem, antiquas quasdā, & tineis adesas le-  
ges, lōga desuetudine antiquatas, quas quod nemo la-  
tas meminisset, omnes sint trāsgressi, earū ergo mulctas  
iubeat exigi, nullum uberiorem prouētum esse, nullum  
magis honorificum, utpote qui iustitiæ præ se personā  
ferat: Dum ab alio admonetur, uti sub magnis mulctis  
multa prohibeat, maxime talia, quæ ne fiant, in rem sit  
populi, post pecunia cum illis dispensem, quorum com-  
modis obstat interdictum, sic & à populo gratiā iniri,  
& duplex adferri compendiū, uel dum hīj mulcantur,  
quos quæstus cupiditas pellexit in casses, uel dum alijs  
uendit priuilegia, tanto pluris, quanto scilicet fuerit me-

h lior

lior princeps, utpote qui grauatim quicq; cōtra populi cōmodum priuato cuiq; indulgeat, & ob id nō nisi magno precio. Dum alius ei persuadet obstringēdos sibi iudices, qui quauis in re p regio iure disceptēt, accersendos præterea in palatiū, atq; inuitādos uti coram se de suis rebus differant, ita nullā causam eius tā aperte inquam fore, in qua nō aliquis eorū uel cōtradicendi studio, uel pudore dicēdi eadē, uel quo gratiā ineāt, apud eum aliquā reperiant rīmā, quā possit intendi calūnia. Sic dum iudicibus diuersa sentētibus, res per se clarissima disputatur, & ueritas in quæstionē uenit, ansam cōmodū regi dari, pro suo cōmodo ius interpretādi. cæters aut pudore accessuros, aut metū, sic intrepide fert, postea p tribunali sentētia. Neq; em̄ deesse prætextus potest pronūcianti p principe. Nempe cui satis est aut æquitatē à sua parte esse, aut uerba legis, aut cōtortum scripti sensum, aut quæ legib⁹ deniq; omnibus præponderat, apud religiosos iudices principis indisputabilem prærogatiuā. Dum omnes in Crassiano illo cōsentient atq; cōspirant, Nullā auri uim satis esse principi, cui sit alēdus exercitus. præterea nihil iniuste regem facere, ut maxime etiam uelit posse. Quippe omnia omniū eius esse, ut homines etiā ipsos, tantū uero cuiq; esse ppriū quantū regis benignitas ei nō ademerit, qd' ipsum ut cōminimū sit, principis multū referre, ut cuius tutamen tū in eo sitū sit, ne populus diuitijs ac libertate lasciuat,

*Crassi diuinis dictum*

quod

qd' hæ res minus patiēter ferāt dura atq; iniusta impe-  
ria, quū cōtra egestas atq; inopia retundat animos, ac  
paciētes reddat, adimatiq; pressis generosos rebellandi  
spīritus. Hic si ego rursus adsurgēs cōtendā hæc cōsilia  
om̄ia regi & inhonesta esse, & pñiossa. Cui⁹ nō honor  
modo, sed securitas q̄q; in populi magis opibus sita sit  
q̄ suis. q̄s si ostendā, regē sibi deligere sua causa, nō re-  
gis, uidelicet uti ei⁹ labore ac studio ipsi cōmode uiuāt,  
tutiq; ab iniurijs. eōq; magis ad principē eam pñinere  
curā, ut populo bene sit suo, q̄s ut sibi, nō aliter ac pasto-  
ris officium est, oues potius q̄s semet pascere, quatenus  
opilio est. Nam qd' populi egestatē censeant pacis præ-  
sidiū esse, longissime aberrare eos ipsa res docet. Népe  
ubi plus rixarū cōperias, q̄s inter mēdicos? Quis inten-  
tius mutatiōi rerū studet, q̄s cui minime placet præsens  
uitæ status? Aut cui deniq; audacior impetus ad cōtur  
banda omnia, spe alicūde lucrādi, q̄s cui iā nihil est qd'  
possit pdere? Quod si rex aliquis adeo aut cōtemptus  
esset, aut inuisus suis, ut aliter eos cōtinere in officio nō  
possit, nisi cōtumelij, cōpilatione, & sectione grassetur,  
eosq; redigat ad mēdicitatē, præstiterit illi profecto re-  
gno abdicare, q̄s his retinere artibus, qbus q̄s q̄s imperij  
taomē, retineat, certe amittit maiestatē. Neq; em̄ regiæ  
dignitatis est, imperiū in mēdicos exercere, sed in opulē-  
tos potius, atq; felices. Quod ip̄m sensit certe uir erecti  
ac sublimis animi Fabricius, cū responderet malle se im-

perare diuitibus, q̄d diuitem esse. Et profecto unum ali  
quem uoluptate ac delicijs fluere, gemētibus undiq; ac  
lamentantibus alijs, hoc non est regni, sed carceris esse  
custodem. Deniq; ut imperitissimus medicus est, qui  
morbum nescit nisi morbo curare, ita qui uitam ciuiū  
nō nouit alia uia corrigerre, quād ademptis uitæ cōmo  
dis, is se nescire fateatur imperare liberis. quin aut iner  
tiam potius mutet suam, aut superbiam. nam his ferè  
uitijs accidit, ut populus eum uel cōtemnat, uel habeat  
odio. uiuat innocuus de suo, sumptus ad redditus accō  
modet, refrenet maleficia, & recta institutiōe suorū præ  
ueniat potius, q̄d sinat increscere, quæ deinde puniat. le  
ges abrogatas consuetudine haud temere reuocet, præ  
sertim quæ diu desitæ nunq; defyderatæ sunt. neque  
unq; commissi nomine eiusmodi quicq; capiat, quale  
priuatum quēpiam iudex, uelut iniquū ac uafūm non  
pateretur accipere. Hic si proponerē illis Macarenium  
legem, qui & ipsi non longe admodum absunt ab Vtop  
ia, quorū rex quo primū die auspicatur imperiū, ma  
gnis adhibitis sacrificijs iurūjurando astringitur, nunq;  
se uno tempore supra mille auri pondo in thesauris ha  
biturum, aut argenti, quātum eius auri precium æquet.  
Hanc legem ferunt ab optimo quodam rege institutā,  
cui maiori curæ fuit patriæ cōmodum, q̄d diuitiæ suæ,  
uelut obicem aceruādæ pecuniaæ tantæ, quanta ficeret  
inopiam eius in populo. Nempe eum thesaurum uide  
bat suffe-

Mira lex  
Macarenium

bat suffecturū, siue regi aduersus rebelleis, siue regno  
aduersus hostium incursiones esset configendum. Cæ-  
terum minorē esse cōsiderat ut animos faciat inuadendi alie-  
na. quæ potissima condendæ legis causa fuit. Proxima  
quod sic prospectum putauit, ne desit pecunia, quæ in  
quotidiana ciuium commutatione ueretur, & quum  
regi necesse est erogare, quicquid thesauro supra legiti-  
mum accreuit modum, nō quæsitur censuit occasio-  
nes iniuriæ. Talis rex & malis erit formidinī, & à bonis  
amabitur. Hæc ergo atq; huiusmodi si ingererē apud  
homines in cōtrariam partē uehementer inclinatos, cōsiderat  
surdis essem narraturus fabulam: Surdissimis inquā,  
haud dubie. neq; hercule miror, necq; mihi uidetur (ut  
uere dicā) huiusmodi sermones ingerēdi, aut talia dan-  
da consilia, quæ certus sis nunq; admissum iri. Quid  
enim prodesse possit, aut quomodo in illorum pectus  
influere sermo tam insolens, quorū præoccupauit ani-  
mos, atq; insedit penitus diuersa persuasio? Apud ami-  
culos in familiari colloquio nō insuauis est hæc philoso-  
phia scholastica. Cæterū in cōsilijs principū, ubi res ma-  
gnæ magna autoritate aguntur, nō est his rebus locus.  
Hoc est, inquit ille, quod dicebam nō esse apud princi-  
pes locum philosophia. Imo inquā est uerum, nō huic  
scholasticæ, quæ quiduis putet ubiuis conuenire, sed est  
alia philosophia ciuilior, quæ suam nouit scenam, eiōz  
se se accommodans, in ea fabula quæ in manibus est, suas

Philoso-  
phia schol-  
astica.

h 3      partes

*philosophia scholastica  
et pars prima.*

δμοίωσις  
mira.

κωφόη  
προσωποῦ

partes concinne & cum decoro tutatur. Hac utendū est tibi. Alioquin dum agitur quaepiam Plauti comoedia, nugantibus inter se uernulis, si tu in prosceniuū prodeas habitu philosophico, & recēseas ex Octavia locum in quo Seneca disputatione cum Nerone, nonne præstiterit egisse mutam personam, q̄z aliena recitando tales fe- cisse tragicomediam? Corruperis enim, peruerterisq; præsentē fabulam, dum diuersa permisces, etiam si ea quæ tu affers meliora fuerint. Quæcunq; fabula in ma- nu est, eam age q̄z potes optime. neq; ideo totā pertur- bes, quod tibi in mētem uenit alterius, quæ sit lepidior. Sic est in Rep. sic in consultationibus principū. Si radi- citus euelli non possint opiniones prauæ, nec receptis usū uitij̄ mederi queas, ex animi tui sententia, nō ideo tamē deserenda Resp. est, & in tempestate nauis desti- tuenda est, quoniā uentos inhibere non possis. at neq; insuetus & insolens sermo inculcandus, quē scias apud diuersa persuasos pondus nō habiturum, sed obliquo ductu conandū est, atq; adnitendū tibi, uti pro tua ui- rili omnia tractes cōmode. & quod in bonū nequis uer- tere, efficias saltē, ut sit q̄zminime malū. Nam ut om̄ia bene sint, fieri nō potest, nisi omnes boni sint, quod ad aliquot abhinc annos adhuc non expecto. Hac inquit, arte nihil fieret aliud, q̄z ne dum aliorum furori mederi studeo, ipse cum illis insaniā. Nam si uera loqui uolo.  
talia loquar necesse est. Cæterū falsa loqui, sit ne philo- sophi

Si uera loqui uero, uita  
loquior uero est.

sophi nescio, certe non est meum. Quanque ille meus sermo ut fuerit fortasse ingratus illis, atque molestus, ita non video cur uideri debeat usque ad ineptias insolens. Quod si aut ea diceret, quae singit Plato in sua Rep. aut ea quae faciunt Vtopieses in sua, haec quacque essent, ut certe sunt, meliora, tam*ē* aliena uideri possint, quod hic singulorū priuat*ē* sunt possessiones, illuc omnia sunt communia.

Mea uero oratio nisi quod ad eos qui statuissent secū, Vtopiesis  
ruere diuersa uia præcipites, iucundus esse non potest,  
qui reuocet ac præmonstret pericula, alioquin quid ha-  
buit, quod non ubiuis dici, uel conueniat, uel oporteat.  
Evidem si omittenda sunt omnia tanquam insolentia  
atque absurdia, quæcunque peruersi mores hominum  
fecerūt, ut uideri possint aliena, dissimulemus oportet,  
apud Christianos, pleraque omnia quæ CHRISTVS  
docuit, ac dissimulari usqueadeo uetus, ut ea quoque  
quæ ipse in aures insusurrasset suis, palam in tectis iuf-  
serit prædicari. Quorum maxima pars ab istis mori-  
bus l*og*e est alienior, quam mea fuit oratio. Nisi quod  
concionatores homines callidi, tuum illud consilium  
secuti puto, quando mores suos homines ad CHRI-  
STI normam grauatum paterentur aptari, doctrinam  
eius uelut regulam plumbeam accommodauerunt ad  
mores, ut aliquo saltem pacto coniungerentur scilicet,  
qua re nihil video quid profecerint, nisi ut securius li-  
ceat esse malos, atque ipse profecto tantudem pro-  
ficiam

ficiam in consilijs principum. Nam aut diuersa sentia, quod perinde fuerit, ac si nihil sentiam. aut eadem, & ipsorum adiutor sim, ut inquit Mitio Teretianus, insaniae. Nam obliquus ille ductus tuus non uideo quid sibi uelit, quo censes adnitendum, si no possint omnia reddi bona, tamen ut tractentur commode, sicutque, quoad licet, et minime mala. Quippe non est ibi dissimulandi locus, nec licet coniuere. approbad sunt a parte pessima consilia, & decretis pestilentiissimis subscribendū est. Speculatoris uice fuerit, ac penē proditoris, etiā qui improbe consulta maligne laudauerit. Porro nihil occurrit, in quo prodesse quicqz possis, in eos delatus collegas, qui uel optimum virum facilius corruperint, et ipsi corriganter. quorum peruersa consuetudine uel de prauaberis, uel ipse integer atqz innocens, alienæ malitiæ, stultitiæqz prætexeris, tantum abest ut aliquid possit in melius obliquo illo ductu conuertere. Quam ob rem pulcherrima similitudine declarat Plato, cur merito sapientes abstineant a capessenda Rep. Quippe quū populum uideat in plateas effusum assiduis imbris perfundi, nec persuadere queant illis, ut se subducant pluviae, tecta qz subeant. gnari nihil profuturos se si exeat, qz ut una compluatur, semet intra tecta continent habentes satis, quando alienæ stultitiæ no possunt mederi, si ipsi saltem sint in tuto. Quanqz profecto mi More (ut ea uere dicam, quæ meus animus fert) mihi uidetur ubi cunqz

ubicunq; priuatæ sunt possessiones, ubi omnes omnia  
pecunijs metiuntur, ibi uix unq; posse fieri, ut cū Rep.  
aut iuste agatur, aut prospere, nisi uel ibi sentias agi iu-  
ste, ubi optima quæq; perueniūt ad pessimos, uel ibi fe-  
liciter, ubi omnia diuiduntur in paucissimos, nec illos  
habitos undecunq; commode, cæteris uero planè mise-  
ris. Quam ob rem quū apud animum meum reproto,  
prudentissima atq; sanctissima instituta Vtopiæsum,  
apud quos tam paucis legibus, tam cōmode res admī-  
nistrantur, ut & uirtuti precium sit, & tamen æquatis re-  
bus omnia abundant omnibus, tum ubi his eorū mo-  
ribus ex aduerso cōparo, tot nationes alias, semper or-  
dinantes, nec ullam satis ordinatam unq;, earū omniū  
in quibus quod quisq; nactus fuerit, suum uocat priua-  
tum, quorum tam multæ indies conditæ leges nō suffi-  
ciunt, uel ut consequatur quisq;, uel ut tueatur, uel ut sa-  
tis internoscatur ab alieno, illud quod suū inuicē quisq;  
priuatum nominat, id quod facile indicant infinita illa  
tam assidue nascentia, q; nunq; finienda litigia. hæc in-  
quam, dum apud me consydero, æquior Platonī fio,  
minusq; demiror, deditatum illis leges ferre ullas,  
qui recusabant eas quibus ex æquo omnes omnia par-  
tirentur commoda. Siquidem facile præuidit homo  
prudentissimus, unam atq; unicam illam esse viam ad  
salutem publicā, si rerum indicatur æqualitas, quæ ne-  
scio an unq; possit obseruari, ubi sua sunt singulorum

i propria.

propria. Nam quū certis titulis, quisq; quantū potest, ad se cōuerrit, quantacūq; fuerit rerū copia, eam omnē pauci inter se partiti, reliquis relinquūt inopiam, ferēq; accidit, ut alteri sint alterorum sorte dignissimi, quū illi sint rapaces, improbi atq; inutiles, contra hī modesti ui ri, ac simplices, & cotidiana īdustria, ī publicum q; ī semet benigniores. Adeo mihi certe p̄suadeo, res æqua bili ac iusta aliqua ratione distribui, aut feliciter agi cū rebus mortalium, n̄isi sublata prorsus proprietate, non posse. Sed manente illa, mansurā semper apud multo maximā, multōq; optimam hominū partem, egestatis & erumnarū anxiām atq; īnevitabilem sarcinā. Quam ut fateor leuari aliquantulū posse, sic tolli plane cōten do nō posse. Nempe si statuatur ne quis supra certum agri modum possideat, & uti sit legitimus cuiq; census pecuniæ, si fuerit legibus quibusdam cautum, ut neq; sit princeps nimium potens, neq; populus nimis insolens. Tum magistratus ne ambiantur, neu dentur uel num, aut sumptus ī illis fieri sit necesse, alioquin & occasio datur per fraudem ac rapinas sarcendiæ pecuniæ, & fit necessitas eis muneribus præficiendi diuites, quæ potius fuerant administranda prudentibus. talibus ī quam legibus, quemadmodum ægra assiduis solent fo mentis fulciri corpora deploratae ualeitudinis, ita hæc quoq; mala leniri queant, ac mitigari. ut sanentur uero atq; ī bonū redeat habitū, nulla omnino spes est, dum

sua

tua cuiq; sunt ppria. Quin dum unius partis curæ stu-  
 des, aliarū uulnus exasperaueris, ita mutuo nascitur ex  
 alterius medela alterius morbus, quādo nihil sic adiçci  
 cuiq; potest, ut non idem adimatur alijs. At mihi inquā  
 cōtra uidetur, ibi nunq; cōmode uiui posse, ubi omnia  
 sint cōmunia. Nam quo pacto suppetat copia rerum,  
 unoquoq; ab labore subducente se: utpote quē necq;  
 sui quæstus urget ratio, & alienæ industriae fiducia  
 reddit segnem. At quum & stimulentur inopia, neque  
 quod quisq; fuerit nactus, id pro suo tueri ulla possit le-  
 ge, an nō necesse est perpetua cæde ac seditione labore  
 tur? Sublata præsertim autoritate ac reuerentia magi-  
 stratuū, cui quis esse locus possit, apud homines taleis,  
 quos inter nullū discrimē est, ne cōminisci quidē queo.  
 Nō miror inquit, sic uideri tibi, quippe cui eius imago  
 rei, aut nulla succurrat, aut falsa. Verū si in Vtopia fuī-  
 ses mecum, moresq; eorum atq; instituta uidisses præ-  
 sens, ut ego feci, q; plus annis quinq; ibi uixi, neq; unq;  
 uoluissim inde discedere, nisi ut nouū illum orbē pro-  
 derem, tum planè faterere, populum recte institutum  
 nusq; alibi te uidisse q; illic. Atqui profecto inquit Pe-  
 trus Aegidius, ægre persuadeas mihi, melius institutū  
 populū in nouo illo, q; in hoc noto nobis orbe repe-  
 riri, ut in quo necq; deteriora ingenia, & uetustiores opi-  
 tor esse, q; in illo Resp. & in quibus plurima ad uitam  
 commoda longus inuenit usus, ut ne adiçiam apud

nos casu reperta quædam, quibus excogitādis nullum  
potuisset ingenium sufficere. Quod ad uetus statem, in-  
quit ille, rerum attinet publicarū, tum pronunciare pos-  
ses rectius, si historias illius orbis perlegisses, quibus si  
fides haberī debet, prius apud eos erāt urbes, quām ho-  
mīnes apud nos. iam uero quicquid hactenus uel inge-  
nium inuenit, uel casus repperit, hoc utrobiq; potuit ex-  
titisse. Cæterum ego certe puto, ut illis præstemus inge-  
nio, studio tamen atq; industria longe à tergo relinqu-  
mur. Nam (ut ipsorum habēt annales) ante appulsum  
illuc nostrū de rebus nostris (quos illi uocāt Ultraequi-  
noctialeis) nihil unq; quicq; audierāt, nisi quod olim  
annis ab hinc ducētis supra mille, nauis quædam apud  
insulam Vtopiam naufragio periit, quā tempestas eō  
detulerat. Electi sunt in littus Romanī quidam, atque  
Aegyptij, qui postea nunq; inde discessere. Hanc unā  
occasionem, uide quām commodam illis sua fecit indu-  
stria. Nihil artis erat intra Romanū imperium, unde  
possit aliquis esse usus, quod nō illi aut ab expositis ho-  
spitibus dīdicerint, aut acceptis quærēdi seminibus ad-  
inuenerint. tanto bono fuit illis aliquos hinc semel illuc  
esse delatos. At si qua similis fortuna quempiam ante-  
hac illinc huc perpulerit, tam penitus hoc oblitteratum  
est, q; istud quoq; forsū excedet posteris, me aliquan-  
do illuc fuisse. Et ut illi uno statim congressu quicquid à  
nobis commode inuentum est, fecerunt suum: Sic diu  
futurum

futurū puto, priusq; nos accipiamus quicquād quod apud illos melius q; nobis est institutum. Quod unū maxime esse reor in causa, cur quū neq; ingenio, neq; opibus inferiores simus eis, ipsorum tamen res quād nostra prudentius administretur, & felicius efflorescat. Ergo mi Raphæl inquā, quæso te atq; obsecro, describe nobis insulam. nec uelis esse breuis, sed explices ordine, agros, fluuios, urbes, homines, mores, instituta, leges, ac deniq; omnia, quæ nos putas uelle cognoscere. putabis autē uelle quicquid adhuc nescimus. Nihil inquit faciam libētius. Nam hæc in promptu habeo. Sed res ocium poscit. Eāmus ergo inquam intro pransum, mox tempus nostro arbitratu sumemus. Fiat inquit. Ita ingressi prandemus. pransi, in eundē reuersi locum, in eodem sedili consedimus, ac iussis ministris ne quis interpellaret, ego ac Petrus Aegidius hortamur Raphælem, ut præstet quod erat pollicitus. Is ergo ubi nos uidit intentos, atq; auidos audiendi, quum paullisper tacitus & cogitabundus assedisset, hunc in modū exorsus est.

## PRIMI LIBRI

FINIS.

i ; Sermonis

# SERMONIS QVEM

RAPHAEL HYTHLODAEV<sup>S</sup> DE OPTI

MO REIP. STATV HABVIT, LI

BER SECUNDVS, PER THO

MAM MORVM CIVEM

ET VICECOMITEM

LONDINENSEM.

\*

Sit<sup>o</sup> & for/  
ma Vto/  
piæ nouæ  
insulæ.



TOPIENSIVM INSULA  
in media sui parte (nā hac  
latissima est) millia passuum  
ducenta porrigit<sup>e</sup>, magnūq<sup>z</sup>  
per insulæ spatium nō mul-  
to angustior, fines uersus  
paulatim utrīq<sup>z</sup> tenuatur,  
hi uelut circunducti circino  
quingentorum ambitu mil-  
lium, insulam totam in lunæ speciem renascentis effi-  
giant. Cuius cornua fretum interfluens, millibus pa-  
ssuum plus minus undecim dirimit, ac per ingens inane  
diffusum, circuictu undiq<sup>z</sup> terræ prohibitis uentis, ua-  
sti in morem lacus stagnans magis, q<sup>z</sup> sœuiens omnem  
propè eius terræ aluum pro portu facit. magnōq<sup>z</sup> ho-  
minum usu naues quaquà uersus transmittit. fauces  
hinc

hinc uadis, inde saxis formidolosæ. In medio fermè interstitio una rupes eminet, eóq; innoxia, cui inædifica tam turrim præsidio tenent, cæteræ latentes & insidiosæ. Canales solis ipsis noti, atque ideo non temere accedit, uti exterus quisquam hunc in sinum, nisi Vtopiano duce, penetret, ut in quem uix ipsis tutus ingressus est, nisi signis quibusdam è litore uiam regentibus. His in diuersa translatis loca, hostium quamlibet numerosam classem facile in perniciem traheret. Ab altera parte non infrequentes portus. At ubiq; descensus in terram ita natura munitus, aut arte, ut ingentes copiæ pacis inde queant propugnatoribus arceri. Cæterum uti fertur, uti ipsa loci facies præ se fert, ea tellus olim non ambiebatur mari. Sed Vtopus cuius utpote uictoris nomē refert insula, Nam ante id temporis Abraxa dicebatur, quiq; rudem atq; agrestem turbam ad id quo nunc cæteros propè mortales antecellit cultus, humani tatisq; perduxit, primo protinus appulsi uictoria potitus, passuum milia quindecim, qua parte tellus continent adhæsit, exscindendū curauit, ac mare circum terrā duxit. Quumq; ad id operis non incolas modo coegisset (ne contumeliae loco labore ducerent) sed suos præterea milites omnes adiungeret, in tantam hominū multitudinem opere distributo incredibili celeritate res perfecta, finitos (q; initio uanitatē incepti riserant) admiratione successus ac terrore perculerit. Insula ciuitates habet

Locus na  
tura tutus  
unico præ  
sidio defen  
ditur.

Stratage,  
ma ex mu  
tatis signis

Vtopia ini  
fula ab  
Vtopo du  
ce.

Hoc plus  
erat q; Isth  
mum per/  
fodere.  
Facile fert  
q; omnibus cōmu  
ne est.

quatuor

Oppida & quatuor & quinquaginta spatiose omnes ac magnificas lingua, moribus, institutis, legibus, prorsus ipsis, idem situs omnium, eadem ubique quatenus per locum licet, rerum facies. Harum quae proximae inter sunt millia quatuor ac uiginti separant. Nulla rursus est tam deserta, è qua non ad aliam urbem pedibus queat unius itinere diei perueniri. Ciues quaque ex urbe terni senes ac rerum periti tractatum de rebus insulae communibus, quotannis conueniunt Amaurotum. Nam (ea urbs quod tanquam in umbilico terrae sita maxime iacet omnium partium legatis opportuna) prima, princepsque habetur. Agri ita commode ciuitatibus assignati sunt, ut ab nulla parte minus soli quam XX passuum millia una quaevis habeat. ab ali qua multo etiam amplius, uidelicet qua parte longius urbes inter se disiunguntur. Nulli urbium cupido promovendorum finium. Quippe quos habent agriculturas magis eorum se, quibus dominos putant. Habent rurum per omnes agros commode dispositas domos, rusticis instrumentis instructas. Haec habitantur ciuibus per uices eorum communitibus. Nulla familia rustica in uiris mulieribusque pauciores habet, quibus quadraginta praeter duos asscripti seruos, quibus pater materque familias graues ac matrui proficiuntur, & singulis tricenis familiis philarchus unus. E quaque familia uiginti quotannis in urbem remigrat, hic qui biennium rurum compleuere. In horum locum totidem recentes ex urbe subrogatur, ut ab his qui annu- ibi fuere,

At hinc ho-  
die pestis  
rerump.  
omnium.  
Prima cu-  
ra agricola  
tionis.

ibi fuere. atq; ideo rusticarum peritiores rerum, institu-  
antur, alios anno sequente docturi, ne si pariter omnes  
ibi noui, agricolationisq; rudes essent, aliquid in anno  
na per imperitiam peccaretur. Is innouandorum agri-  
colarū mos, & si solennis sit, ne quisquam inuitus aspe-  
tiorem uitam cogatur continuare diutius, multi tamen  
quos rusticæ rei studium natura delectat, plures sibi an-  
nos impetrant. Agricola terram colunt, nutriunt ani-  
malia, ligna comparant, atq; in urbem qua commodū  
est, terra, mariuē conuehunt. Pullorum infinitam edu-  
cant multitudinem, mirabili artificio. Necq; enim incu-  
bant oua gallinæ, sed magnum eorum numerum calo-  
re quodam æquabili fouentes animant, educantq; hi  
simil atq; è testa prodiere, homines, uice matrum comi-  
tantur, & agnoscunt. Equos alunt perq; paucos, nec ni-  
si ferocientes, neq; alium in usum quam exerceundæ re-  
bus equestribus iuuentuti. Nam omnem, seu colendi,  
seu uehendi laborem, boues obeunt, quos (ut fatentur)  
equis impetu cedere, sic patientia uincere, nec tot obno-  
xios morbis putant, ad hæc minore impendio, & ope-  
ræ, & sumptus ali, ac deniq; laboribus emeritos, in cibū  
tandem usui esse. Semente in solum panem utuntur.  
Nam aut uuarum uinum bibunt, aut pomorum, piro-  
ruine, aut deniq; aquam nonunq; meram, saepet etiā,  
qua mel, aut glycyrizam incoixerint, cuius haud exiguā  
habent copiam. Quum exploratum habeant (habent  
k. enim

Agricola /  
rū officia.

Mira ratio  
fouendi  
oua.

Vlus equo  
rum.

Vlus boū.

Cibus, ac  
potus.

Modus se/ enim certissimum ) quantum annonæ consumat urbs,  
mentis. & circuniectus urbi conuentus, tamen multo amplius  
& sementis faciunt, & pecudum educant, q̄d quod in su/  
os usus sufficiat, reliquū imparituri finitimis. Quibus  
cunctis rebus opus est, quae res ruri non habentur, eam  
supellectilem omnem ab urbe petunt. & sine ulla rerū  
commutatione, à magistratibus urbanis nullo negocio  
consequuntur. Nam illō singulo quoq; mense, pleriq; ad  
festum diem conueniunt. Quum frumentandi dies in-  
stat, magistratibus urbanis agricultarum phylarchi de-  
nunciant, quantum ciuium numerum ad se mitti cōue-  
niat, quae multitudo frumentatorum, quum ad ipsum  
diem opportune adsit, uno propè sereno die tota fru-  
mentatione defunguntur.

DE VRBIBVS, AC NOMINA  
TIM DE AMAVROTO.

**V**Rbium qui unam norit, omnes nouerit. ita sunt  
inter se (quatenus loci natura nō obstat) omnino  
Amauroti similes. Depingam igitur unam quampiam (neq; enim  
primariae admodum refert quam) Sed quam potius, q̄d Amau-  
rbis de/ Vtopiēsiū rotum: qua necnulla dignior est, quippe cui senatus gra-  
scriptio. tia reliquæ deferunt, necnulla mihi notior, ut in qua an-  
nos quinque perpetuo uixerim. Situm est igitur Amau-  
rotum, in leni deiectu montis, figura ferè quadrata. Nā  
latitudo eius paulo infra collis incepta uerticem, milli-  
bus pas-

bus passiuū duobus ad flumen Anydrū pertinet, secun  
 dum ripam aliquanto longior. Oritur Anydrus mili/  
 bus octoginta supra Amaurotum, modico fonte, sed  
 aliorum occursu fluminum, atq; in his duorum etiam  
 mediocrium auctus, ante urbem ipsam, quingentos in  
 latum passus extenditur, mox adhuc amplior, sexagin-  
 ta milia prolapsus, excipitur oceano. Hoc toto spacio,  
 quod urbem ac mare interiacet, ac supra urbem quoq;  
 aliquot milia, sex horas perpetuas influens aestus, ac re-  
 fluus alternat celeri flumine. Quum sese pelagus infert, Idem fit a/  
 triginta in longū milia, totum Anydri alueum suis oc- pud An/  
 cupat undis, profligato retrosum fluuio. Tum aliquan glos in flu/  
 to ultra liquorem eius salsugine corruptit, dehinc pau mine Tha/  
 latim dulcescens amnis, syncerus urbem perlabitur, ac mysi.  
 refugientem uicissim purus & incorruptus, ad ipsas pro-  
 pè fauces insequitur. Vrbs aduersæ fluminis ripæ, non Et in hoc  
 pilis ac sublicibus ligneis, sed ex opere lapideo, egregie Londonū  
 arcuato ponte, commissa est, ab ea parte, quæ longissi- cū Amau/  
 me distat à mari, quo naues totum id latus urbis pos- roto conue-  
 nit.   
 fint inoffensæ præteruehi. Habent alium præterea flu-  
 um, haud magnum quidem illum, sed perquam pla-  
 cidum, ac iucundum. Nam ex eodem scaturiens mon-  
 te, in quo ciuitas collocatur, medium illam per deuexa  
 perfluēs Anydro miscetur. Eius fluuij caput, fontemq;  
 quod paulo extra urbem nascitur, munimentis ample- Vsus a/  
 xi, Amaurotani iunxerunt oppido. ne si qua uis ho- quæ pota/  
 bilis.

stium ingruat, intercipi, atq; auerti aqua, né ue corrum  
pi queat. Inde canalibus coctilibus, diuersim ad inferio  
res urbis partes aqua diriuatur, id sicuti locus fieri ue  
tat, cisternis capacibus, collecta pluia, tantundē usus  
Mœnium  
munimen  
ta.

ad fert. Murus altus, ac latus oppidū cingit, turribus, ac  
propugnaculis frequens, arida fossa, sed alta, lataq;, ac  
ueprum sepibus impedita tribus ab lateribus circūdat  
Plateæ cu  
iusmodi.

mœnia, quarto flumen ipsum pro fossa est. Plateæ cū  
ad uecturam, tum aduersus uentos descriptæ, cōmode  
ædificia neutiç; sordida, quorum longa, & totum per  
uicum, perpetua series, aduersa domorum fronte con-

Aedificia, spicitur. has uicorum frontes uia distinguit pedes uigin  
ti lata. Posterioribus ædium partibus, quanta est uici

Horti ædi  
bus adhæ  
rentes.

longitudo, hortus adiacet, latus, & uicoru tergis undiq;  
circumseptus. Nulla domus est, quæ non ut hostium in

plateam, ita posticum in hortum habeat. Quin bifores  
quoq; facil tractu manus apertiles, ac dein sua sponte  
coēuntes, quemuis intromittūt, ita nihil usquām priua  
Hæc sapiūt  
cōmunita  
tē Platonis

tit est. Nam domos ipsas uno quoq; decennio sorte cō  
mutant. Hos hortos magnificiunt, in his uineas, fru  
ctus, herbas, flores habent, tanto nitore, cultuq;, ut ni  
hil fructuosius usquām uiderim, nihil elegantius. qua

Vtilitas  
hortorum  
etia Maro  
ni prædi  
cata.

in re studium eorum, non ipsa uoluptas modo, sed ui  
corum quoq; inuicem de suo cuiuscq; horti cultu certa  
meni accendit. & certe non aliud quicq; temere urbe to  
ta reperias, siue ad usum ciuium, siue ad uoluptatem cō  
modius.

modius. eōq; nullius rei, quām huiusmodi hortorum, maiorem habuisse curam uidetur is qui cōdidit. Nam totam hanc urbē figuram, iam inde ab initio descriptā ab ipso Vtopo ferunt. Sed ornatū, cæterumq; cultū, quibus unius artatē hominis haud suffecturam uidit, posteris adiiciendum reliquit. Itaq; scriptum in analibus habent, quos ab capta usq; insula, mille septingentorum, ac sexaginta annorum complectentes historiam, diligenter & religiose prescriptos adseruant, ædes initio humiles, ac ueluti casas, & tuguria fuisse, è quolibet ligno temere factas, parietes luto obductos, culmina in aciem fastigiata stramentis operuerant. At nunc omnis domus uisenda forma tabulatorum trium, pari etum facies, aut silice, aut cementis, aut latere coctili constructæ, in aluum introrsus congesto rudere. Tecta in planum subducta, quæ intritis quibusdam insternunt, nullius impendij, sed ea temperatura, quæ nec igni obnoxia sit, & tolerandis tempestatum iniurijs plumbū superet. Ventos è fenestrīs uitro (nam eius ibi creberimus usus est) expellunt. Interim etiam lino tenui, quod perlucido oleo, aut succino perlinunt, gemino nimirū commodo. Siquidem ad eum modum fit, ut & plus lucis transmittat, & uentorum minus admittat.

## DE MAGISTRATIBVS.

**T**RIGINTA quæc; familie magistratum sibi quotannis eligunt, quæ sua prisca lingua Syphograntum k; uocant

Vitreæ aut  
linteatae fe-  
nestræ.

Sinimo  
prosternere  
mit  
Vnumit;

uocant, recentiore phylarchum, Syphograntis decem  
 Tranibor<sup>o</sup> cum suis familijs Traniborus olim, nunc protophylar,  
 Vtopiēsiū chus dictus præficitur. Demum Syphogranti omnes,  
 lingua so/ nat præfe/ qui sunt ducenti, iurati lecturos sese, quem maxime  
 &ū prima/ censem utilem, suffragijs occultis renunciant principem  
 rium.  
 Mira ratio unum uidelicet ex his quatuor, quos eis populus nomi-  
 creādi ma/ nauit. Nam à quaq; urbis quarta parte, selectus unus  
 gistratus. Tyrannis commendatur senatui. Principis magistratus perpe-  
 inuisa be tuus est in omnem illius uitam, nisi tyrannidis affecta-  
 ne institu/ tæ suspicio impediat. Traniboros quotannis eligunt,  
 Cito diri/ Caterum haud temere commutant. Reliqui magistra-  
 mendæ cō trouersia, tus omnes annui. Tranibori tertio quoq; die, interdū  
 quas nunc si res postulat sæpius, in consiliū cum principe ueniunt.  
 data opera De rep. consultant. controuersias priuatorum ( si qua  
 in immen/ sum proro sunt) quæ perquam paucæ sunt, mature dirimunt. Sy-  
 gant. phigrantos semper in senatum duos adsciscunt, atque  
 Nihil subi/ omni die diuersos. cautumq; ut ne quid ratū sit quod  
 to statuen ad remp. pertineat, de quo non tribus in senatu diebus  
 dum. ante agitatum, quam decretum sit. Extra senatum, aut  
 comitia publica de rebus cōmunib; inire consilia capi-  
 tale habetur. Hæc eò ferunt instituta, ne proclive esset,  
 cōiuratione principis, ac Tranibororum, oppresso per  
 tyrannidem populo, statum reipub. mutare. Atq; ideo  
 quicquid magni momenti iudicatur, ad Syphogranto  
 rum comitia defertur, qui cum suis familijs communica-  
 ta re, post inter se consultant, ac suum consilium renun-  
 ciant

ciant senatui. Interdum ad totius insulæ consilium res  
desertur. Quin id quoq; moris habet senatus, ut nihil, Vt inā idē  
quo die primum proponitur, eodem disputetur, sed in hodie fiat i  
sequentem senatū differatur, ne quis ubi quod in buc nostris cōs  
cam primum uenerit, temere effutierit, ea potius exco  
gitet postea, quibus decreta tueatur sua, quām quā ex  
reip. usu sint. malit̄ salutis publicæ, quām opinionis Hoc sibi  
de se iacturam facere, peruerso quodam ac præpostero uolebat ue  
pudore, ne initio parū prospexitse uideat. Cui prospī tus prouer  
biū, ē v. v.  
ciendū initio fuit, ut consulto potius, q̄cito loqueretur. xti Bouλι.

## DE ARTIFICIIS.

**A**rs una est omnibus uiris, mulieribusq; promi/ Agricola/  
scua agricultura, cuius nemo est expers. Hac à pu/ tio cōmu/  
eritia erudiuntur omnes, partim in schola traditis p̄r/ nis omniū,  
ceptis, partim in agros uiciniores urbi, quasi per ludum in paucos  
eduicti, non intuentes modo, sed per exercitandī corpo cōtemptos  
ris occasionem tractantes etiam. Præter agriculturam reijcimus.  
(quæ est omnibus, ut dixi, cōmunis) quilibet unā quā Artes ad  
piam, tanq; suam docetur, ea est ferē aut lanificiū, aut necessitatē  
operandi lini studium, aut cemētariorum, aut fabri, seu non ad lu/  
ferrarij, seu materiarij artificium. Neq; enim aliud est xū discen/  
opificium ullum, quod numerū aliquem, dictu dignū  
occupet illuc. Nam uestes, quarum, nisi quod habitu militudo,  
sexus discernitur, & cælibatus à coniugio, una per to  
tam insulam forma est, eademq; per omne ætū per  
petua, nec ad oculum indecora, & ad corporis motū  
habilis

Nemo ciui  
um expers  
artificij.

habilis, tum ad frigoris aestusque rationem apposita.  
Eas inquam, quæque sibi familia conficit. Sed ex alijs  
illis artibus unusquisque aliquam dicit, nec uiri modo,  
sed mulieres etiam. cæterum haec uelut imbecilliores, le-

Ad quam

quisq; na/  
tura sit ap/  
positus, eā

dicit artē.

Ociosi pel/  
lendi e Re/  
publica.

Moderan/  
dus opifi/  
cum labor.

uiora tractant. lanam ferè, linumq; operantur. uiris ar-  
tes reliquæ magis laboriosæ mandantur, maxima ex  
parte quisq; in patrijs artibus educatur, nam è pleriq;  
natura feruntur. Quod si quem animus alio trahat, in  
eius opificij, cuius capitur studio, familiam quampiam  
adoptione traducitur, cura non à patre modo eius, sed  
magistratibus etiam præstata, ut graui, atq; honesto pa-  
trifamilias mancipetur. Quin si quis unam perdoctus  
artem, aliam præterea cupuerit, eodem modo permit-  
titur. Vtramq; naestus, utram uelit exercet, nisi alteru-  
tra ciuitas magis egeat. Syphagrantorum, præcipuum  
ac prope unicum negocium est, curare, ac prospicere,

ne quisquam desideat ociosus. Sed uti suæ quisque ar-  
ti sedulo incumbat, nec ab summo mane tamen, ad  
multam usque noctem perpetuo labore, uelut iumen-  
ta, fatigatus, nam ea plusquam seruilis erumna est, quæ  
tamen ubiq; ferè opificum uita est, exceptis Vtopien-

sibus, qui cum in horas uigintiquatuor æquales, diem  
connumerata nocte diuidant, sex duntaxat operi de-  
putant, tres ante meridiem, à quibus prandium ineunt,  
atq; à prandio duas pomeridianas horas, quum inter-  
quieuerint, tres deinde rursus labori datas, coena clau-  
dunt.



dunt. Quum primam horam ab meridie numeret: sub octauam cubitum eunt. horas octo somnus uendicat. Quicquid inter operis horas ac somni cibis medium esset, id suo cuiuscum arbitrio permittitur, non quo per luxum, aut segnitiem abutatur, sed quod ab opificio suo liberum, ex animi sententia in aliud quippiam studij bene collocet. has intercedentes plerique impendunt literis. Solenne est enim publicas cotidie lectiones haberi, antelucanis horis, quibus ut intersint, non dumtaxat adiguntur, qui ad literas nominatim selecti sunt. Ceterum ex omni ordine mares simul, ac foeminae multitudine maxima ad audiendas lectiones, alij alias, prout cuiuscum fert natura confluit. Hoc ipsum tempus tamen, si quis arti suae malit insumere quod multis usu uenit (quorum animus in nullius contemplatione disciplinæ consurgit) haud prohibetur, quin laudatur quoque, ut utilis reipublicæ. Super coenam tum unam horam ludendo producunt, æstate in hortis, hyeme in aulis illis communibus, in quibus comedunt. Ibi aut musici exercerent, aut se sermone recreant. Aleam atque id genus ineptos ac perniciosos ludos ne cognoscunt quidem, ceterum duos habent in usu ludos, latrunculorum ludo non dissimiles. Alterum numerorum pugnam, in qua numerus numerum praedatur. Alterum in quo collata acie cum uirtutibus uitia configunt. Quo in ludo perquam scite ostenditur & uitiorum inter se dissidiū, & aduersus

Studia li-  
terarumLusus in  
coenis.At nunc  
alea prin-  
cipum lu-  
sus est.Lusus uti-  
les quoque.

I uirtutes

*Mirabilis hodi*

uitutes concordia. item quæ uitia, quibus se uirtutibus  
opponant, quibus uiribus aperte oppugnant, quibus  
machinamētis ab obliquo adoriat, quo præsidio, uit  
tutes uitiorum uires infringant, quibus artibus eorum  
conatus eludant, quibus deniq; modis alterutra pars  
uictoriæ compos fiat. Sed hoc loco, ne quid erretis  
quiddā pressius intuendū est. Etenim quod sex dum  
taxat horas in opere sunt, fieri fortasse potest, ut in opia  
aliquā putes, necessariarū rerum sequi. Quod tam lon  
ge abest ut accidat, ut id temporis ad omniū rerum co  
piam quæ quidem ad uitæ uel necessitatem requiran

Ociosoru  
hominū  
genera.

tur uel cōmoditatē non sufficiat modo, sed superfit  
etiam, id quod uos quoq; intelligetis si uobiscum repu  
tetis apud alias gētes, quam magna populi pars iners  
degit. primum mulieres ferē omnes, totius summāe di  
midium, aut sicubi mulieres negotiosæ sunt, ibi ut pluri  
mum, earum uice, uiri stertunt. ad hæc, sacerdotum ac  
religiosorum, quos uocant quanta quāq; ociosa turba,  
adīce diuites omnes maxime prædiorum dominos,

*δοξιφό  
τημα  
nobilium*

quos uulgo generosos appellant ac nobiles, his adnu  
mera ipsorum famulitiū, totam uidelicet illam cetrato  
rum nebulonum colluuiem, robustos deniq; ac ualen  
tes mendicos adiunge, morbum quempiam prætexen  
tes inertiae, multo certe pauciores esse quam putaras in

Prudentis/ uenies eos, quorū labore constant hæc omnia quibus  
sime dictū. mortales utuntur. Expéde nunc tecū ex his ipsis quam

paucl

pauci in necessariis opificiis uersantur. siquidē ubi omnia  
pecunia metimur, multas artes necesse est exerceri ina-  
nes prorsus ac superfluas, luxus tantum ac libidinis mini-  
stris. nā hæc ipsa multitudo quæ nūc opat, si partiret  
in tam paucas artes, q̄b paucas cōmodus naturæ usus  
postulat: in tāta rerū abūdātia: quantā nūc esse necesse  
sit, precia nimirū uiliora forent, q̄b ut artifices inde uitā  
tueri suam possent. At si isti omnes quos nūc inertes ar-  
tes dīstringunt: ac tota insup̄ ocio ac desidia languescēs  
turba, quorū unus quiuis earū rerum quæ aliorū labo-  
ribus suppeditātur: quantū duo earundē operatores  
cōsumit: in opera uniuersi atq̄ eadē utilia collocarent,  
facile animaduertis: quantulū tēporis ad suppeditāda  
omnia: quæ uel necessitatis ratio: uel cōmoditatis effla-  
gitet (adde uoluptatis etiā quæ quidē uera sit ac natura-  
lis) abūde satis sup̄q̄ foret. atq̄ id ipsum in Vtopia res  
ipsa p̄spicuū facit. Nam illīc in tota urbe cū adiacēte ui-  
cinia uix homines qngēti ex omni uirorū ac mulierū nu-  
mero, quorū aetas ac robur op̄i sufficit, uacatio p̄mittit.  
In hijs syphogrāti (q̄b q̄b leges eos labore soluerūt) ipsi  
tamē se se nō eximūt: quo facilius exēplo suo reliquos  
ad labores inuitent. Eadē immunitate gaudēt hi: quos  
cōmēdatiōe sacerdotū, p̄suasus populus occultis sypho-  
grātorū suffragijs ad p̄discēdas disciplinas p̄petuā ua-  
cationē indulget. Quorū si q̄s cōceptā de se spēm fefel-  
lerit: ad opifices retrudit, cōtraq̄z nō rarēter usu uenit:

Ne magi-  
stratus qui  
dē ab ope-  
re recessant.

ut mechanicus quispiā, subcisiuas illas horas tam gna-  
uiter impēdat literis, tantū diligentia proficiat, ut opifi-  
cio suo exemptus, in literatorum classem prouehatur.

Soli literati ad magistratus uocantur. Ex hoc literatorum ordine legati, sacerdotes, Tranibori  
ac ipse deniq; deligitur princeps, quem illi prisca ipso-  
rum lingua Barzanem, recentiore Ademum appellat.

Reliqua ferè multitudo omnis: quum neq; ociosa sit:  
nec inutilib⁹ opificijs occupata, proliuis æstimatio est,  
quām paucæ horæ quantū boni operis pariant, ad ea  
quæ commemorauit, hoc præterea facilitatis accedit

Quomo-  
do uitetur  
impensæ in  
ædificijs.  
aut structura: aut refectio ideo tam multorum assidua  
aliiæ gentes, opus habent. Nam primum ædificiorum,

ubiq; requirit operā, quod quæ pater ædificauit: hæres  
parū frugi, paulatim dilabi sinit, ita quod minimo tue-  
ri potuit: successor eius de integrō impendio magno co-  
gitur instaurare. quin frequenter etiam quæ domus aliij  
ingenti sumptu stetit, hanc alius delicato animo con-  
temnit, eāq; neglecta: atq; ideo breui collapsa: aliā ali-  
bi impensis non minoribus extruit. At apud Vtopien-  
ses compositis rebus omnibus: & constituta rep. rariissi-  
me accidit: uti noua collocandis ædibus area delegatur  
& non modo remedium celeriter præsentibus uitjs ad  
hibetur, sed etiam imminentibus occurritur. Ita fit, ut  
minimo labore, diutissime perdurent ædificia, & id ge-  
nus opifices uix habeant interdum quod agant: nisi  
quod

quod materiam dolare domi & lapides interim quadrare atq; aptare iubentur, quo (si quod opus incidat) maturius possit exurgere. Iam in uestibus uide, quam paucis operis egeant: primū dum in opere sunt: corio neglectim aut pellibus amiciuntur quæ in septenniū durent. quum procedunt in publicū, superinduūt chlamydem uestem, quæ rudiiores illas uestes cōtegat: eius per totam insulam unus color est, atq; is nativus. Itaque lanei panni, nō modo multo minus quæ usquam alibi sufficit, uerū is ipse quoq; multo minoris impendiū est, at lini minor est labor, eōq; usus crebrior, sed in linea solus candor, in laneo sola mundicies conspicit, nullū tenuioris filiū precium est. Itaque fit, ut quum alibi nūsc̄q;, uni hominī quatuor aut quinq; togæ laneæ diuersis coloribus, ac totidem sericiæ tunicæ sufficient, delicatiorebus paulo ne decēm quidem, ibi una quisq; contentus est, plerunq; in biennium. Quippe nec causa est ulla cur plures affectet, quas consecutus neq; aduersus frigus esset munitor, necq; uestitu uideretur uel pilo cultior. Quamobrem quū & omnes utilibus sese artibus exerceant, & ipsarum etiam opera pauciora sufficient, fit nimirum, ut abundante rerum omnium copia, interdum in reficiendas (si quæ detritæ sunt) vias publicas immensam multitudinē educant, persæpe etiam quū nec talis cuiuspiam operis usus occurrat, pauciores horas operādi publice denuntiēt, neq; enim supuacaneo,

Quom  
in amictu.

labore ciues inuitos exercent magistratus: quandoquidem eius reipub. institutio hunc unum scopum in primis respicit: ut quoad per publicas necessitates licet: quod plurimū temporis ab seruicio corporis ad animi libertatem cultumque ciuibus uniuersis asseratur. In eo enim sitam uitæ felicitatem putant.

## DE COMMERCIIIS MVTVIS.

Numerus  
ciuium. Sed iam quo pacto sese mutuo ciues utatur: quæ possunt inter se commercia: quæque sit distribuendarum terum forma uidetur explicandum. Quum igitur ex familijs constet ciuitas: familias ut plurimū, cognationes efficiunt. Nam foeminæ (ubi maturuerint) collocatae marititis: in ipsorum domicilia concedunt. at masculi filij, ac deinceps nepotes: in familia permanent, & parentū antiquissimo parent. nisi præsenecta mente parum ualuerit. tunc enim aetate proximus ei sufficitur. Verum ne ciuitas aut fieri infrequentior: aut ultra modum possit increscere, cauetur, ne ulla familia, quarum millia sex, quæque ciuitas, excepto conuentu, complectitur: pauciores quam decem: pluresue quam sexdecim puberes habent. Impuberum enim nullus præfiniri numerus potest. Hic modus facile seruatur, transcriptis hijs in ratiore familias, qui in plenioribus excrescunt. At si quando in totum plus iusto abundauerit: aliarum urbium suatum infrequentiam sarcint. Quod si forte per totam insulam

insulam plus æquo moles intumuerit, tum ex qualibet urbe descriptis ciuibus in continente proximo ubicuq; indigenis agri multum superest, & cultu uacat: coloniæ suis ipsorum legibus propagant, a scitis una terra indigenis si conuiuere secum uelint. Cum uolentibus coniuncti in idem uitæ institutum: eosdemq; mores, facile coalescunt, idq; utriusq; populi bono. efficiunt enim suis institutis ut ea terra, utrisq; abunda sit: quæ alteris aut parca ac maligna uidebatur. Renuentes ipsorum legibus uiuere, propellunt his finibus quos sibi ipsi describūt. Aduersus repugnantes, bello configūt. nam eam iustissimam belli causam ducunt, quum populus quispiam eius soli quo ipse non utitur, sed uelut inane ac uacuum possidet. alijs tamen qui ex naturæ præscripto inde nutriti debeant, usum ac possessionem interdicat. Si quando ulla ex suis urbibus aliquis casus, eousq; imminuerit, ut ex alijs insulæ partibus seruato suo cuiuscq; urbis modo, resarciri nō possint (quod bis dumtaxat ab omni æuo pestis grassante sœvitia fertur contigisse) remigrantibus è colonia ciuibus replentur. Perire enim colonias potius patiūtur, quam ullam ex insulanis urbibus imminui. Sed ad conuictum ciuium reuertor. Antiquissimus (ut dixi) præfamiliae. Ministri sunt uxores maritis, & liberi parentibus, atq; in summa minores natu majoribus. Ciuitas omnis in quatuor æquales partes diuiditur. In medio cuiuscq;

Sic excludi  
potest ocio  
sa turba mi  
nistrorum.

partis forū est omniū rerum. Eo in certas domos opa  
cuiusq; familiæ conuehuntur, atq; in horrea singula se-  
orsum species distributæ sunt. Ab his quilibet paterfa-  
miliæ quibus ipse suicq; opus habent, petit, ac sine pe-  
cunia, sine omni prorsus hostimento quicquid petierit,  
aufert. Quare enim negetur quicq;: quum & omnium  
rerum abunde satis sit nec timor ullus subsit, ne quisq;  
plusquam sit, opus flagitare uelit. Nam cur supuacua  
petiturus putetur is, qui certū habeat, nihil sibi unquam  
defuturum. Nempe auidum ac rapacem, aut timor ca-  
rendi facit, in omni animantū genere, aut in homine so-  
la reddit superbia, quæ gloriæ sibi dicit, superflua rerū  
ostentatione cæteros antecellere, quod uitij genus in  
Utopiensium institutis nullum omnino locū habet.  
Adiuncta sunt foris (quæ cōmemorauī) fora cibaria, in  
quæ nō olera modo, arborum cōfructus & panes com-  
portātur, sed pisces præterea quadrupedūcō & auium  
quicquid esculentū est, extra urbem locis appositis ubi

Tabes ac  
sordes pe-  
fluento tabum ac sordes eluant. Hinc deportant pecu-  
stem inue-  
des occisas depurataſq; manibus famulorū (nam neq;  
hit ciuita-  
tibus. suos ciues patiuntur affluescere laniatu animaliū, cuius  
Ex pecudū usu, clementiam humanissimū naturæ nostræ affectū  
laniena di-  
dicimus & paulatim deperire putant, neq; sordidū quicq; atq; im-  
homines mundū, cuius putredine corruptus aer morbū possit in  
iugulare. uehere) pferri in urbem sinunt. Habet præterea qui-  
libet uicus, aulas quasdam capaces, æquali ab sese inuicem  
intervallo

Rapacitas  
unde.

interualllo distantes, nomine quanque suo cognitas. Has  
colunt Syphograti, quarum unicuique triginta familiae ui  
delicet ab utroque latere quindecim sunt adscriptae, cibum  
ibi sumpturae. Obsonatores cuiusque aulae, certa hora co  
ueniunt in forum, ac relato suorum numero, cibum pe  
tunt. Sed prima ratio ægrotorum habetur, qui in publi  
cis hospitijs curatur. Nam quatuor habent in ambitu  
ciuitatis hospitia, paulo extra muros tam capacia, ut to  
tidem oppidulis æquari possint, tum ut neque ægrotoru  
numerus quilibet magnus anguste collocaretur, & per  
hoc incômode, tum quo hi*j* qui tali morbo tenerentur,  
cuius contagio solet ab alio ad aliū serpere, longius ab  
aliorum cœtu semoueri possint. Hæc hospitia ita sunt  
instructa, atque omnibus rebus quæ ad salutem confe  
rant referta, tum tam tenera ac sedula cura adhibetur,  
tam assidua medicorum peritissimorum præsentia, ut quū  
illuc nemo mittatur inuitus, nemo tamē ferè in tota ur  
be sit, qui aduersa ualetudine laborans, non ibi decum  
bere cō domi suæ præferat. Quū ægrotorum obsona  
tor cibos ex medicorum præscripto receperit, deinceps  
optimæ quæque int̄ aulas æquabiliter pro suo cuiusque  
numero distribuūtur, nisi quod principis, pontificis, &  
Tranibororum respectus habetur, ac legatorum etiam, &  
exterorum omniū (si qui sunt, qui pauci ac raro sunt) sed  
hijs quoque cū adsunt, domicilia certa atque instructa pa  
tantur, Ad has aulas prandij, coenæque statis horis tota  
m sypho-

Cura  
ægrotorum.

Coniuia  
cōmunia,  
pmiscuacq

syphograntia conuenit, æneæ tubæ clangore commo-  
nefacta, nisi qui aut in hospitijs, aut domi decumbút.

Vt ubiq; li  
bertatis ha  
be; ratio,  
ne qd fiat  
a coactis.

quanquam nemo prohibetur, postquam aulis est satis  
factum è foro domum cibum petere. Sciunt enim nem  
i nem id temere facere, nam & si domi prandere nulli ue  
titum sit, nemo tamen hoc libenter facit, cum neq; ho  
nestum habeatur, & stultum sit deterioris paradi pran  
dij sumere laborem, cum lautum atq; opiparum pra  
sto apud aulam, tam propinquam sit. In hac aula mini  
steria omnia in quibus paulo plus fardis, aut laboris est,  
obeunt serui. Cæterum coquendi, parandiç cibi offi  
cium, & totius deniq; instruendi coniuij solæ mulieres  
exercent, cuiusq; uidelicet familiæ per uices. Tribus, plu  
ribusue mensis pro numero coniuarum discubbitur.

Fœminæ  
ministræ i  
coniuijs.

Viri ad parietem, fœminæ exterius collocantur, ut si  
quid his subiti oboriatur mali, quod uterum gerenti  
bus interdum solet accidere, imperturbatis ordinibus  
exurgant, atque inde ad nutrices abeant. Sedent illæ  
quidem seorsum cum lactentibus in coenaculo quo  
dam ad id destinato, nunquam sine foco atque aqua  
munda, nec absque cunis interim, ut & reclinare liceat  
infantulos, & ad ignem cum uelint exemptos fascis  
liberare, acludo reficere. Suæ quæc; soboli nutrix est,  
nisi aut mors, aut morbus impediat. id cum accidit,  
uxores Syphograntorum propere nutricem quærunt,  
nec id difficile est. Nam quæ id præstare possunt, nul  
li officio

li officio sese offerunt libentius, quoniam & omnes eam misericordiam laude prosequuntur, & qui educatur, nutricem parentis agnoscit loco. In antro nutritum, considerunt pueri omnes, qui primum lustrum non expletiere. ceteri impuberes, quo in numero ducunt quicunque sexus alterius utrius intra nubiles annos sunt, aut ministrant discubentibus, aut qui per aetatem nondum ualent, adstant tamen, atque id summo cum silentio. utrique quod a sedentibus porrigitur, eo uescuntur, nec aliud discretum prandendi tempus habent. In medio primae mensae (qui summus locus est, & cui, Nam ea mensa suprema in parte coenaculi transuersa est) totus conuentus conspicitur, Siphograntus cum uxore consideret. His adiunguntur duo ex natu maximis. Sedent enim per omnes mensas quater. At si templum in ea Siphograntia situm est, sacerdos, eiusque uxor cum Siphogranco sedent ut praesideant. Ab utraque parte collocantur iuniores, post senes rursus, atque hoc pacto per totam domum, & aequales inter se iunguntur, & dissimilibus tamen immiscentur, quod ideo ferunt institutum, ut senum grauitas ac reuerentia (quum nihil ita in mensa fieri diciue potest, ut eos ab omni parte uicinos effugiat) iuniores ab improba uerborum, gestuumque licentia cohibeant. Ciborum sercula non a primo loco deinceps apponuntur, sed senioribus primum omnibus (quorum insignes

Laude &  
officio ci-  
ues opti-  
me iuitane  
ad recte  
agendum.  
Educatio  
sobolis.

Sacerdos  
supra prin-  
cipem, At  
nunc etiam &  
Episcopi  
tis manci-  
piorum ut  
ce sunt.

Iuniores  
maioribus  
admixti.

Senū habi-  
ta ratio.

loci sunt) optimus quisq; cibus infertur. deinde reliqui  
æqualiter ministratur. At senes lauitias suas (quarum  
non tanta erat copia, ut posset totam per domum affa-  
tim distribui) pro suo arbitratu circunsedentibus im-  
partiūtur. Sic & maioribus natu suis seruatur honos,  
& commodi tantundem tamen, ad omneis peruenit.

Id hodie  
uix mona-  
chi obser-  
uant.

Sermones  
i cōuiuīs.

Id hodie  
medici da-  
mnant.

Musica in  
conuiuio.

Voluptas  
inoxia nō  
aspernāda

Omne prandium, cœna nīc ab aliqua lectione auspi-  
cantur, quæ ad mores faciat, sed breui tamē ne fastidio-  
sit. Ab hac seniores, honestos sermones, sed neque tri-  
stes, ac infacetos ingerunt. At nec longis logis totum oc-  
cupant prandium, quin audiunt libēter iuuenies quoq;  
atque adeo de industria prouocant, quo & indolis cu-  
iusq; & ingenij per conuiuij libertatem prodentis se,.  
capiant experimentum. Prandia breuiuscula sunt, cœ-  
næ largiores, quod labor illa, has somnus & nocturna  
quies excipit, quam illi ad salubrem concoctionem ma-  
gis efficacem putant. Nulla cœna sine musica transfigi-  
tur. nec ullis caret secunda mensa bellarijs. odores in-  
cendunt, & unguēta spargunt. nihilq; nō faciunt, quod  
exhilarare conuiuas possit. sunt enim hanc in partem  
aliquanto procliuiores, ut nullum uoluptatis genus(ex  
quo nihil sequatur incommodi) censeant interdictum.  
Hoc pacto igitur in urbe cōuiuunt, at ruri, qui longius  
ab se se dissiti sunt, omnes domi quisq; suæ comedunt.  
nulli enim familiæ quicquam ad uictum deest, quippe  
à quib; id totum uenit, quo uescantur urbici.

De pere-

## DE PEREGRINATIONE VTOPIENSIVM.

**A**T si quos aut amicorū alia in urbe cōmorantiū, aut ipsius etiam uidendi loci desyderium cōperit à Syphograntis ac Traniboris suis ueniā facile impe- trant, nisi si quis usus impediat. Mittitur ergo simul, nu- merus aliquis cum epistola principis, quæ & datam pe- regrinandi copiam testatur, & redditus diem præscribit. Vehiculum datur cum seruo publico, qui agat boues & curet, ceterum nisi mulieres in cœtu habeāt, uehiculum uelut onus & impedimentum, remittitur. Toto itinere cum nihil secum efferant, nihil defit tamen, ubiqz enim domi sunt. Si quo in loco diutius uno die cōmorentur, suam ibi quisqz artem exercet, atqz ab artis eiusdē opificibus, humanissime tractantur. Si semet autore quis, quam extra suos fines uagetur, deprehensus sine prin- cipis diplomate, contumeliose habitus, pro fugitiuo re- ducitur, castigatus acriter. idem ausus denuo, seruitute plectitur. Quod si quem libido incessat per suæ ciuita- tis agros palandi, uenia patris & consentiente coniuge, non prohibetur. Sed in quodcumqz rus peruenierit, nul- lus ante cibus datur, quam ante meridianū operis pen- sum, (aut quātum ante coenam ibi laborari solet) absolu- erit. Hac lege quouis intra suæ urbis fines ire licet. Erit enim non minus utilis urbi, quam si in urbe esset. Iam uidetis qz nulla sit usqz ociandi licentia, nullus inertiae prætext⁹, nulla taberna uinaria, nulla ceruisiaria, nusqz lupanar,

O sanctā lupanar, nulla corruptelæ occasio, nullæ latebræ, cōcilia, républicā, & uel Chri-  
stianis imi-  
tandam.

Aequabili-  
tas facit, ut  
omnibus  
sufficiat. Quem populi morem necesse est omnium rerum co-  
piam sequi. atq; ea quum æquabiliter ad omnes perue-  
niat, sit nimirū, ut inops esse nemo aut mendicus pos-  
sit. In senatu Amaurotico (quem uti dixi terni quotan-  
nis omni ex urbe frequētant) ubi primum constititerit,  
quæ res quoq; loco abundet, rursum cuius alicubi ma-  
lignior prouentus fuerit, alterius inopiam, alterius pro-  
tinus ubertas explet, atque id gratuito faciunt, nihil ui-  
cissim ab his recipientes quibus donant. Sed quæ de  
suis rebus unicuius urbi dederint, nihil ab ea repeten-  
tes, ab alia cui nihil impenderūt, quibus egent accipiūt.

Respubli-  
ca nihil ali-  
ud q̄ ma-  
gna quæ-  
dam fami-  
lia est.  
Ita tota insula uelut una familia est. At postquam satis  
prouisum ipsis est, (quod non antea factum censem)  
quam in bienniū propter anni sequentis euentum pro-  
spexerint) tum ex his quæ supersunt magnā uim fru-  
menti, mellis, lanae, lini, ligni, cocci, & conchyliorū, uelle-  
rum, ceræ, seui, corij, ad hæc animaliū quoque in alias re-

Negotiatio-  
gones exportant. quarum rerum omniū, septimā par-  
Vtopiēsiū tem inopibus eius regionis dono dant, reliquā pre-  
mediocri uendant, quo ex cōmercio, non eas modo  
merces, quibus domi egēt, (nam id ferè nihil est præter  
ferrum) sed argēti atq; auri præterea, magnam uim in  
patriam reportant. Cuius rei diutina consuetudine su-

pra

praeterea credi possit, ubique iam earum rerum copia abundant. Itaque nunc parum pensi habent, praesente ne pecunia, an in diem uendat, multoque maximam partem habent in nominibus, in quibus tamen faciendis non priuatorum unquam, sed confectis ex more instrumentis, publicam urbis fidem sequuntur. Ciuitas ubi solutionis dies aduenerit, a priuatis debitoribus exigit creditum, atque in aerarium redigit, eiusque pecuniæ quoad ab Vto piensibus repetatur, usura fruatur. Illi maximam partem nunquam repetunt. Nam quae res apud se nullum habet usum, eam ab his auferre, quibus usui est, haud æquum censem. Cæterū si res ita poscat, ut eius aliquam partem alij populo mutuam daturi sint, tum demū poscunt, aut quū bellum gerendum est, quam in rem unam totum illum thesaurum quem habent domi seruant, uti aut extremis in periculis, aut in subitis praesidio sit. potissimum quo milites externos (quos libentius quam suos ciues obiciunt discrimini) immodico stipendio conductant, gnari multitudine pecuniæ hostes ipsos plerunque mercabiles, & uel proditione, uel infestis etiam signis inter se committi. Hanc ob causam inæstimabilem thesaurum seruant, at non ut thesaurum tamen, sed ita habent, quomodo me narrare profecto deterret pudor, metuentem ne fidem oratio non sit habitura, quod eo iustius uereor, quo magis mihi sum conscius, nisi uidissem præsens, que agre potuisse ipse perduci, ut alteri idem

Vt nusquam  
non memini  
nerūt suæ  
communi-  
tatis.

Qua ratio  
ne possit  
esse uilis  
pecunia.

Satius est  
bellū pecu-  
nia aut ar-  
te declina-  
re, quam  
sanguinis  
humani ia-  
ctura gere-  
re.

O artifice.

ri idem recensenti crederē. Necesse est enim ferē quām  
quicq; est ab eorum qui audiunt moribus alienū, tam  
idem procul illis abesse à fide. quanq; prudens rerum  
æstimator minus fortasse mirabitur, quum reliqua eo-  
rum instituta, tam longe ab nostris differant: si argenti  
quoq; atq; aurī usus ad ipsorū potius, q; ad nostri mo-  
ris rationem accōmodetur. Nempe quū pecunia non  
utantur ipsis, sed in eum seruent euentum, qui ut potest  
usu uenire, ita fieri potest ut nunq; incidat. Interim au-  
rum, argentumq; (unde ea sit) sic apud se habent, ut ab  
nullo pluris æstimetur, q; rerum ipsarum natura mere-  
tur, qua quis non uidet q; longe infra ferrum sunt: ut  
sine quo non hercule magis q; absq; igni atq; aqua ui-  
uere mortales queant, quū interim auro, argentoq; nul-  
lum usum, quo nō facile careamus, natura tribuerit, nisi  
hominū stultitia precium raritati fecisset. quin contra,  
uelut parens indulgentissima optima quæq; in propa-  
tulo posuerit, ut aerem, aquā, ac tellurem ipsam, longis-  
sime uero uana ac nihil profutura semouerit. Ergo hæc  
metalla si apud eos in turrim aliquam abstruderētur.  
princeps ac senatus in suspicionem uenire posset (ut est  
uulgi stulta solertia) ne deluso per technā populo, ipsi  
aliquo inde cōmodo fruerentur. porrò si phalias inde  
aliaq; id genus opera fabre excusa conficerent, si quān-  
do incidisset occasio, ut conflanda sint rursus, atq; in mi-  
litum eroganda stipendum, uident nimirū fore, ut

Aurū ferro  
uili<sup>o</sup>. quan-  
tū ad usum  
attinet:

ægre

ægre patientur auelli quæ semel in delitijs habere cœ-  
 pissent. His rebus uti occurrant, excogitauere quandā  
 rationem, ut reliquis ipsorum institutis cōsentaneam,  
 ita ab nostris (apud quos aurū tāti sit, ac tam diligēter  
 conditum) longissime abhorretem, eōq; nisi peritis nō  
 credibilem. Nam quum in fictilibus è terra uirōq; ele-  
 gantissimis quidē illis, sed uilibus tamen edāt bibātq;. O magnifi-  
ficam auri  
cōtumeliā  
 ex auro, atq; argento nō in cōmunib; aulis modo, sed  
 in priuatis etiam domibus, matellas passim, ac sordidis  
 sima quæq; uasa conficiunt. Ad hæc catenas & crassas  
 compedes, quibus coherent seruos: iisdem ex metallis  
 operantur. Postremo quoq; cunctis aliquod crimen infa-  
 mes facit, ab horum auribus anuli dependent aurei di-  
 gitos aurum cingit, aurea torques ambit collum, & ca-  
 put deniq; auro uincitur. Ita omnibus curant modis,  
 uti apud se aurum argentumq; in ignominia sint, atq;  
 hoc pacto fit, ut hæc metalla, quæ cæteræ gentes nō mi-  
 nus ferè dolenter ac uiscera sua distrahi patiūt, apud  
 Vtopiæ. Si semel omnia res postularet efferri, nemo si-  
 bi iacturam unius fecisse assis uideretur. Margaritas Aurum ge-  
stamen in/  
famium,  
 præterea legunt in littoribus, quin in rupibus quibus/  
 dam adamantes ac pyropos quoq;: neq; tamen quæ-  
 runt, sed oblatos casu, perpoliunt. His ornant infantu-  
 los, qui ut primis pueritiae annis, talibus ornamētis glo-  
 riantur, ac superbiunt: sic ubi plusculum accreuit ætatis,  
 cum animaduertunt eiusmodi nugis non nisi pueros  
Gemmae  
puerorum  
deliciæ.  
 n      uti, nullo

uti, nullo parentum monitu, sed suomet ipsorum puden-  
re deponunt. non aliter ac nostri pueri, quum grande-  
scunt nuces, bullas, & pupas abiciunt. Itaque haec tam di-  
uersa ab reliquis gentibus instituta, quam diuersas iti-  
dem animorum affectiones patiat, nunquam æque mihi

Elegantis/  
sima fabu-  
la.

atque in Anemoliorum legatis inclaruit. Venerunt hi  
Amaurotum (dum ego aderam) & quoniam magnis  
de rebus tractatum ueniebant, aduentū eorum terni illi  
ciues, ex qualibet urbe præuenerant, sed omnes finiti-  
marum gentium legati, qui eò ante appulerāt, quibus  
Vtopiensium perspecti mores erant, apud quos sum-  
ptuoso uestitui nihil honoris haberi intelligebant, ser-  
cum contemptui esse, aurum etiam infame sciebant, cul-  
tu quam poterant modestissimo uenire consueuerant.  
At Anemoli, quod longius aberat, ac minus cum illis  
comercij habuerant, quum accepissent, eodem omnes,  
eoque rudi corporis cultu esse, persuasi non habere eos,  
quo non utebatur, ipsis etiam superbi magis, quam sapien-  
tes, decreuerunt apparatus elegantia, deos quosdam re-  
præsentare, & miserorum oculos Vtopiensium, ornatus  
sui splendore præstringere. Itaque ingressi sunt legati  
tres, cū comitibus centum, omnes uestitu uersicolori,  
plerique serico, legati ipsis (nam domi nobiles erant) ami-  
ctu aureo, magnis torquibus, & inauribus aureis, ad  
haec anulis aureis in manibus, monilibus insuper appé-  
sis in pileo, quæ margaritis ac gemmis affulgebāt, omni-  
bus postre.

bus postremo rebus ornatī, quæ apud Vtopiensēs, aut  
seruorum supplicia, aut infamium dedecora, aut pue-  
rorum nugamenta fuere. Itaq; operæ premium erat ui-  
dere, quo pacto cristas erexerint, ubi suum ornatū cum  
Vtopiensiū uestitu (nam in plateis sese populus effude-  
rat) contulere. contrāq; non minus erat uoluptatis cōsy-  
derare quām lōge sua eos spes expectatiōq; fecellerat;  
quāc; longe ab ea existimatione aberant, quā se conse-  
cuturos putauerāt. Nempe Vtopiensiū oculis omniū,  
exceptis perq; paucis, qui alias gentes aliqua idonea  
de causa inuiserant, totus ille splēdor, apparatus pudē-  
dus uidebatur, & infimum quenq; pro dominis reue-  
renter salutantes, legatos ipsos ex aurearum usu cate-  
narum p seruis habitos, sine ullo prorsus honore præ-  
termiserunt. Quin pueros quoq; uidisses, qui gemmas  
ac margaritas abiecerant, ubi in legatorum pileis affi-  
xas conspexerunt, compellare matrem ac latus fodere.  
Enī mater, quām magnus nebulo margaritis adhuc &  
gemmaulis utitur, ac si esset puerulus. At parens serio  
etiam illa, tace inquit fili, est opinor quispiā è morioni  
bus legatorum. Alij catenas illas aureas reprehendere,  
utpote nullius usus, quippe tā graciles, ut eas facile ser-  
uus infringere, tam laxas rursus, uti quum fuerit libitū  
possit excutere, & solutus ac liber quoquis aufugere. Ve-  
rum legati postq; ibi unum, atq; alterum diem uersati  
tantam auri uim in tanta uilitate conspexerunt, nec in

texvith

minore contumelia, quam apud se honore habitam ui-  
dissent, ad hæc in unius fugitiui serui catenas compe-  
desq; plus auri, atq; argenti congestum, q̄ totus ipso-  
rum trium apparatus costiterat, subsidentibus pennis  
omnem illum cultum, quo sese tam arroganter extule-  
rant, pudefacti, se posuerunt. Maxime uero postq; fa-  
miliarius cum Vtopiensibus collocuti, mores eorum  
atq; opiniones didicere, mirant̄ illi siquidē quēq; esse

Dubius di-  
xit, ob gem-  
mas factiti-  
as, aut certe  
dubiū di-  
xit exiguū  
ac malignū

mortalium quem exiguae gemmulæ, aut lapilli dubius  
oblectet fulgor, cui quidē stellam aliquam, atq; ipsum  
deniq; solem liceat intueri, aut quēq; tam insanū esse  
ut nobilior ipse sibi ob tenuioris lanæ filum uideatur, si  
quidē hanc ipsam (quātumuis tenui filo sit) ouis olim  
gestauit, nec aliud tamen interīm, q̄ ouis fuit. Miratur

item aurum suapte natura tam inutile, nunc ubiq; gen-  
tium æstimari tanti, ut homo ipse per quem, atq; adeo  
in cuius usum id precij obtinuit, minoris multo q̄ au-  
rum ipsum æstimetur, usq; adeo ut plumbeus quispiā,

Quā uere & cui nō plus ingenij sit q̄ stipiti, nec minus etiā impro-  
& q̄ apte.

bus quam stultus, multos tamen & sapientes & bonos  
uiros in seruitute habeat, ob id duntaxat, quod ei ma-  
gnus contigit aureorum numismatū cumulus, quem  
si qua fortuna, aut aliqua legum stropha (quaē nihil mi-  
nus ac fortuna ipsa summis ima permiscet) ab hero illo  
ad abiectissimum totius familiæ suæ nebulonē trans-  
tulerit, sit nimicum paulopost, ut in famuli sui famuli-

licium concedat, uelut appendix additamentumq; nū  
 mismatum. Cæterum multo magis eorum mirantur,  
 ac detestantur insaniam qui diuitibus illis, quibus neq;  
 debet quicq;, neq; sunt obnoxij, nullo alio respectu, q;  
 quod diuites sunt, honores tantū non diuinos impen-  
 dunt, idq; cum eos tam sordidos atq; auaros cogno-  
 scunt, ut habeant certo certius ex tanto nūmorū cumu-  
 lo, uiuentibus illis ne unum quidem nūmulum unq;  
 ad se uenturū. Has atq; huiusmodi opiniones partim  
 ex educatione conceperunt. in ea educti Rep. cuius in-  
 stituta longissime ab his stultitiae generibus absunt,  
 partim ex doctrina & literis. Nam & si haud multi cu-  
 iuscq; urbis sunt, qui cæteris exonerati laboribus soli di-  
 sciplinae deputantur. hij uidelicet in quibus à pueritia  
 egregiam indolem, eximum ingenium, atq; animū ad  
 bonas artes propensum deprehendere, tamen omnes  
 pueri literis imbuntur, & populi bona pars, uiri, scemi-  
 nāe q; per totā uitam, horas illas quas ab operibus libe-  
 ras diximus, in literis collocant. Disciplinas ipsorū lin-  
 gua perdiscunt. est em̄ neq; uerborū inops, nec insua-  
 uis auditu, nec ulla fidelior animi interpres est. eadem  
 ferè (nisi quod ubiq; corruptior, alibi aliter) magnā eius  
 orbis plagam peruagatur. Ex omnibus his philosophis,  
 quorū nomina sunt in hoc noto nobis orbe celebria,  
 ante nostrū aduentū ne fama quidē cuiuscq; eō puene-  
 rat. & tamen in myſica, dialecticaq;, ac numerādi & me-

Quanto  
 plus sapiū  
 Vtopiā, q;  
 Christiano  
 rū uulgus

Studia &  
 disciplinae  
 Vtopiæsiū

**Musica.** tiendi scientia eadem ferè quæ nostri illi ueteres inuenire, Cæterum ut antiquos omnibus propè rebus exquant, ita nuperorū inuentis dialecticorū longe sunt impares. Nam ne ullam quidem regulam inuenierunt earū, quas de restrictionibus, amplificationibus, ac suppositionibus acutissime excogitatis in paruis logicalibus passim hic ediscūt pueri. Porrò secūdas intētiones tam longe abest ut inuestigare sufficerint, ut nec hominem ipsum in cōmuni quē uocat ḡēb (ut scitis) planè colosseū & quo quis gigāte maiore, tū à nobis præterea dīgito demonstratū, nemo tamē eorū uidere potuerit. At

**Astrologia** sunt in astrorū cursu, & cælestiū orbium motu, petitissimi. Quin instrumēta quoq; diuersis figuris solerter ex cogitarunt, quibus solis ac lunæ, & cæterorū itē astrotū quæ in ipsorū horizonte uisunt, motiones ac situs exactissime cōprehēsos habent. Cæteræ amicitias, atq; erratiū dissidia syderū, ac totā deniq; illā ex astris diuinādī imposturā, ne somniāt quidē. Imbres, uētos, ac cæteras tēpestatū uicissitudines, signis quibus dā longo perspetuis usu præsentīūt. Sed de causis earū rerū omniū, &

**Athīs regnāt, inter Christianos hodie.** de fluxu maris eiusq; salinitate, & in sūma de cæli mundi origine, ac natura partim eadē quæ ueteres philosophi nostri disserūt, partim ut illi inter se dissident, ita hi quoq; dū nouas rerū ratiōes afferūt, ab omnibus illis dissentīūt, nec inter se tamē usq; quaq; cōueniūt. In ea

**Physica omniū incertissima.**

**Ethica.** philosophiæ parte qua de morib⁹ agit, eadē illis disptantur

tantur quæ nobis de bonis animi quærum & corporis, Ordo bonorum  
 & externis, tū utrum boni nomen omnibus his, an solis animi dotibus conueniat, De uirtute differunt, ac uoluptate, sed omniū prima est ac princeps controv ersia, Fines bonorum.  
 qua nam in re una pluribus sita hominīs felicitatem putet. At hac in re p penses æquo uidentur in factio- Vtopiani  
 ne uoluptatis assertricē, ut qua uel totā, uel potissimā felicitatis humanae partē definiat. Et quo magis mireris honesta uoluptate me ab religione quoq; (quæ grauis & seuera est ferēq; tristis & rigida) petū tamē sententiæ tā delicatae patrociniū. Necq; em de felicitate disceptant unq;, quin principia quædā ex religiōe deprompta, tū philosophia quæ rationibus utitur coiungant, sine qbus ad ueræ felicitatis inuestigationē mancā, atq; imbecillā per se rationē putat. Ea principia sūt huiusmodi. Animā esse immortalē, ac dei beneficētia ad felicitatē natā, uirtutibus ac nefactis nostris præmia post hāc uitā, flagitijs destina ta supplicia. Hæc tametsi religionis sint, ratiōe tamē cēsent ad ea credēda, & cōcedenda perduci, qbus è medio sublati, sine ulla cūctatiōe pñūciāt neminē esse tā stu pidū, qui nō sentiat petendā sibi per fas ac nefas uoluptatē. hoc tātū caueret ne minor uoluptas obstet maio ri, aut eā persequat̄ quā inuicem retaliet dolor. Nā uirtutē asperā, ac difficile sequi, ac nō abigere modo sua uitatem uite, sed dolorem etiā sponte perpeti, cuius nullū expe ctes fructū (quis em potest esse fructus si post mortem

Principia  
 philosophiae et religione  
 petenda.  
 Theologia  
 Vtopiæliū.

Animorū  
 immortali  
 tas, de qua  
 hodie non  
 pauci etiā  
 Christiani  
 dubitant.  
 Ut nō quæ  
 uis expetē  
 da uolu  
 ptas, ita nec  
 dolor affe  
 ctandus nō  
 si uirtutis  
 causa.

mortem nihil assequeris quum hanc uitam totam insua-  
uiter hoc est misere traduxeris) id uero dementissimum  
ferunt. Nunc uero non in omni uoluptate felicitatem,  
sed in bona, atque honesta sitam putant. ad eam enim  
uelut ad summum bonum, naturam nostram ab ipsa  
uirtute pertrahi, cui sola aduersa factio felicitatem tri-  
buit. Nempe uirtutem definiunt, secundum naturam  
uiuere ad id siquidem à deo institutos esse nos. Eu-  
ro naturae ductum sequi quisquis in appetendis fugie-  
disque rebus obtemperat rationi. Rationem porro, mor-  
tales primum omnium in amorem, ac ueneratione di-  
uinæ maiestatis incendere, cui debemus, & quod su-  
mus, & quod compotes esse felicitatis possumus, secun-  
dum id commonet, atque excitat nos ut uitam que licet mi-  
nime anxiā, ac maxime lata ducamus ipsis, ceterisque  
omnibus ad idem obtinendum adiutores nos pro na-  
turæ societate præbeamus. Neque enim quisque unicunque fuit  
tam tristis ac rigidus assecla uirtutis, & osor uoluptatis,  
qui ita labores, uigilias & squalores indicat tibi, ut non  
idem aliorum inopiam, atque incomoda leuare, te pro  
tua uirili iubeat, & id laudandum humanitatis nomine  
censeat, hominem homini saluti ac solatio esse, si huma-  
num est maxime (qua uirtute nulla est homini magis  
propria) aliorum mitigare molestiam, & sublata tristitia  
uitæ iucunditati, hoc est uoluptati reddere. Quid ni-  
natura quenque instiget ut sibi met idem præstet? Nam  
aut mala

aut mala est uita iucunda, id est, uoluptaria, quod si est, non solum neminem ad eam debes adiutare, sed omibus utpote noxiā ac mortiferam, quantum potes adiūtere, aut si conciliare alijs eam, ut bonam nō licet modo, sed etiam debes, cur non tibi in primis ipsi: cui non minus propitium esse te quam alijs decet. neq; em̄ quāte natura moneat uti in alios bonus sis, eadē te rursus iubet, in temet sēcum atq; inclemētem esse. Vitam ergo iucundam inquiunt, id est uoluptatem tantum operationum omnium finem, ipsa nobis natura præscribit, ex cuius præscripto uiuere, virtutem definiunt. At quā natura mortales inuitet ad hilarioris uitæ mutuum subsidium (quod certe merito facit. neq; em̄ tam supra generis humani sortē quisq; est, ut solus naturæ curæ sit, quæ uniuersos ex æquo fouet, quos eiusdem formæ cō munione cōplectitur) eadem te nimirū iubet etiā atq; etiā obseruare, ne sic tuis cōmodis obsecūdes: ut aliorū procures incōmoda. Seruanda igitur censem non inita solū inter priuatos pacta, sed publicas etiā leges, quas aut bonus princeps iuste p̄mulgauit, aut populus, nec oppressus tyrannide, nec dolo circūscriptus, de partendis uitæ commodis, hoc est materia uoluptatis, cōmuni consensu sanxit. Hījs inoffensis legibus tuum curare commodum, prudentia est: publicum præterea, pietatis: Sed alienam uoluptatem præreptum ire, dum cōsequare tuam: ea uero iniuria est, cōtra tibi aliquid ipsi

Pacta & leges.

o demere

At nunc quidam ac cersunt do lores uelut in his sita sit religio, cum ferēdi potius sint si incident ad pietatis officium tē dēti, aut na turæ necel sitate accidunt.

demere, quod addas alijs, id demū est humanitatis ac  
 Officia uil tæ mutua. benignitatis officiū, quod ipsum nunq̄ tantū auffert cō  
 modi, quantū refert. Nam & beneficiorū uicissitudine  
 pensatur, & ipsa benefacti cōscientia, ac recordatio cha  
 ritatis eorū & benevolentiae quibus benefeceris, plus  
 uoluptatis afferit animo, quam fuisset illa corporis qua  
 abstinuisti. Postremo (quod facile persuadet animo li  
 benter assentienti religio) breuis & exiguae uoluptatis  
 uicē, ingenti ac nunq̄ interituro gaudio rependit deus.  
 Itaq; hoc pacto censem, & excussa sedulo & perpensa  
 re om̄es actiōes nostras, atcq; in his uirtutes etiā ipsas,  
 uoluptatem tandem uelut finem, felicitatemq; respicere.

Voluptas  
quid.

Falsa uolu  
ptates.

Voluptatē appellant omnē corporis animi ue motū  
 statūq; in quo uersari natura duce delectet. Appetitio  
 nem naturae, non temere addunt. Nam ut quicquid na  
 tura iucūdum est, ad quod neq; per iniuriam tenditur,  
 nec iucūdius aliud amittitur, nec labor succedit, nō sen  
 sus modo, sed recta quoq; ratio persequit̄, ita quæ p̄a  
 ter naturam dulcia sibi mortales uanissima cōspiratio  
 ne configunt (tanq; in ipsis esset perinde res ac uoca  
 bula commutare) ea omnia statuunt adeo nihil ad feli  
 citatem facere, ut plurimū officiant etiam, uel eo quod  
 quibus semel insederunt, ne ueris ac genuinis oblecta  
 mentis usq; uacet locus, totum prorsus animum falsa  
 uoluptatis opinione p̄aoccupat. Sunt enim perquam  
 multa, quæ quum suapte natura nihil contineant sua  
 uitatis

uitatis, imo bona pars amaritudinis etiam plurimum, peruersa, tum improbarum cupiditatum illecebra, non pro summis tantum uoluptatibus habeantur: uerum etiam inter præcipuas uitæ causas numerentur. In hoc adulterinæ uoluptatis genere, eos collocant, quos ante memorauit, qui quo meliorem togam habent, eo sibi meliores ipsi uidetur. qua una in re, bis errant. Neque em minus falsi sunt, quod meliorē putant togam suā, quam quod se. Cur enim si uestis usum spectes, tenuioris fili lana præstet crassiori: at illi tamen tanq; natura nō errore præcellerēt, attollūt cristas, & sibimet quoq; precij credūt inde non nihil accedere. eōq; honorem, quem uilius uestiti sperare non essent ausi elegantiori togæ, uelut suo iure exigunt, & prætermissi negligētiū indignantur. At hoc ipsum quoq; uanis & nihil profuturis honoribus affici, an non eiusdē inscitiae est? Nam quid naturalis & uerae uoluptatis affert nudatus alterius uertex, aut curuati poplites, hoccine tuorum poplitum dolori medebitur: aut tui capit is phrenesim leuabit? In hac fucatae uoluptatis imagine, mirum quam suauiter insanunt īj qui nobilitatis opinione sibi blandiuntur ac plaudunt, quod eiusmodi maioribus nasci contigerit, quorum longa series diues (neque enim nunc aliud est nobilitas) habita sit, præsertim in prædijs, nec pilo quidem minus sibi nobiles uidentur, etiam si maiores nihil inde reliquerint, aut relictum

Error eorū  
qui sibi ob  
cultū pla/  
cent.

Stulti ho/  
nores.

Vana nobil  
itas.

Stultissima uoluntas ex genere ipsi obligurierint. His adnumerant eos qui gemmis ac lapillis (ut dixi) capiuntur, ac dij quodammodo sibi uidentur facti, si quando eximium aliquem consequantur, mis.

Opinio hominis minuti piciū addit, aut adimit genus eius præsertim generis, quod sua tempestate, maximo apud suos aestimetur. neq; em̄ apud omnes, neq; omni tempore, eadem genera sunt in precio: Sed nec nisi emptum auro ac nudum comparat. Imo ne sic quidem nisi adiurato uenditore, & præstanti cautionem, uera gemmam ac lapidem uerum esse, tam solliciti sunt: ne oculis eorum, ueri loco adulterinus imponat. At spectaturo tibi, cur minus præbeat oblectamēti factitius, quem tuus oculus non discernit a uero. Vt tercet ex aequo uale re debet, tibi, non minus hercle quam cæco. Quid hinc qui superfluas opes adseruant, ut nullo acerui usu, sed sola contemplatione delectentur, num ueram percipiunt: an falsa potius uoluptate luduntur? aut hi qui diuerso uitio, aurum quo nunquam sint usuri, fortasse nec uisuri amplius, abscondunt, & solliciti ne perdant, perdunt. quid enim aliud est, usibus demptum tuis & omnibus fortasse mortaliū, telluri reddere? & tu tamen abstruso thesau-

Mira fictio & aptissima.  
ro, uelut animi iam securus lætitia gestis. Quem si quis furto sustulerit, cuius tu ignarus furti, decem post annis obieris. toto illo decennio, quo subtractæ pecuniae superfuisti, quid tua retulit, surreptum an saluum fuisse? utrumque certe modo tantundem usus ad te pertuerit. Ad has tam Alea ineptas lætitias, aleatores (quorum insaniam auditu, non usu

usu cognouere) uenatores præterea, atq; aucupes, adiū Venatio.  
 gunt. Nam quid habet, inquiunt, uoluptatis, talos in al  
 ueum proiçere, quod toties fecisti, ut si quid uolupta  
 tis inesset, oriri tamen potuisse ex frequenti usu satie  
 tas: aut quæ suauitas esse potest, ac nō fastidiū potius.  
in audiēdo latratu, atq; ululatu canum: aut qui maior  
 uoluptatis sensus est, cum leporem canis insequitur, q̄  
quū canis canem: nempe idem utrobiç agitur, accurri  
 tur enim, si te cursus oblectet. At si te cædis spes, lania  
 tus expectatio sub oculis peragendi retinet, misericor  
 diam potius mouere debet, spectare, lepusculum à ca  
 ne, imbecillum à ualidiore, fugacem actimidū à feroce,  
 innoxium deniq; à crudeli disceptū. Itaq; Vtopiēses to  
 tum hoc uenandi exercitium, ut rem liberis indignam,  
 in lanios (quā artē per seruos obire eos supra diximus)  
 reiecerunt. infimam enim eius partem esse uenationē  
 statuit, reliquas eius partes & utiliores & honestiores  
 ut quæ & multo magis conferant, & animalia necessita  
 tis dūtaxat gratia perimāt, quū uenator ab miseri ani  
 malculi cæde ac laniatu, nihil nisi uoluptatē petat, quā  
 spectandæ necis libidinē in ipsis etiam bestijs, aut ab  
 animi crudelis affectu censem exoriri, aut in crudelitatē  
 deniq;, assiduo tā efferæ uoluptatis usu defluere. Hæc  
 igitur & quicquid est eiusmodi (sunt em innumera) q̄  
 q̄ pro uoluptatibus mortalium uulgas habeat, illi ta  
 men quum natura nihil insit suave, plane statuit, cum

Athæcho  
die ars est  
deorū au  
licorum.

uerā uoluptate nihil habere cōmerciū. Nam quod uulgo sensum iucunditate perfundunt (quod uoluptatis opus uidetur) nihil de sententia decedunt. nō em̄ ipsius rei natura, sed ipsorum peruersa consuetudo in causa est. cuius uitio fit, ut amara pro dulcibus amplectantur. Nō aliter ac mulieres grauidæ picem & seuum, corupto gustu, melle mellitiū arbitrantur. Nec cuiusq; tamen aut morbo, aut consuetudine deprauatum iudicium, mutare naturam, ut non aliarum rerum, ita nec uoluptatis potest.

**Veræ uoluptatis spēs.** Voluptatum quas ueras fatētur, species diuersas faciunt. Siquidem alias animo, corpori alias tribuunt. Animo dant intellectum, ea inq; dulce dinem quam ueri contemplatio pepererit. Adhac suavis additur bene actæ uitæ memoria, & spes nō dubia futuri boni. Corporis uoluptatem in duas partiuntur formas, quarū prima sit ea, quæ sensum perspicua suauitate perfundit, quod alias earum instauratione partium fit, quas insitus nobis calor exhauserit. Nam hæc cibo potūq; redduntur, alias dum egeruntur illa, quorum copia corpus exuberat. hæc suggestur, dum excremētis intestina purgamus, aut opera liberis datur, aut ullius prurigo partis frictu scalptuū lenitur. Interdum uero uoluptas oritur, nec redditura quicquā quod membra nostra desyderent, nec ademptura quo laborent: cæterum quæ sensus nostros tamen ui quadam occulta, sed illustri motu titillet afficiatq;, & in se conuertat,

**Voluptates corporis.** qualis ex

Citta in  
grauidis

qualis ex musica nascitur. Alteram corporeæ uoluptatis formā, eam uolunt esse, quæ in quieto, atq; æquabili corporis statu consistat, id est nimirum sua cuiuscq; nullo interpellata malo sanitas. Hæc siquidē, si nihil eā doloris oppugnet, per se ipsa delectat, etiā si nulla extrinsecus adhibita uoluptate moueat. Quāq; em sese minus effert, minuſq; offert sensui, q; tumida illa edēdi bendiç; libido, nihilo tamen secius multi eam statuūt uoluptatū maximā, omnes ferè Vtopienses magnā & uelut fundamentū omnium ac basim fatentur, ut quæ uel sola placidam & optabilem uitæ conditionem redat, & qua sublata, nullus usq; reliquus sit cuiq; uoluptati locus. Nā dolore prorsus uacare, nisi adsit sanitas, stuporē certe nō uoluptatē uocant. Iamdudum exploratum est apud eos decretū illorū, qui stabilem & trāquilam sanitatē (nam hæc quoq; quaestio gnauiter apud eos agitata est) ideo nō habendā pro uoluptate censabant, quod præsentem nō posse dicerēt, nisi motu quam extrario sentiri. Verū cōtra nūc in hoc propè uniuersi cōspirant, sanitatem uel in primis uoluptati esse. Etenī quū in morbo, inquiunt, dolor sit, qui uoluptati implacabilis hostis est, nō aliter, ac sanitati morbus, qd ni uicissim insit sanitatis tranquillitati uoluptas: nihil em ad hāc rem referre putat, seu morbus dolor esse, seu morbo dolor inesse dicat. Tātūdē em utrōq; modo effici. Quippe si sanitas, aut uoluptas ipsa sit, aut necessaria uoluptas.

Valeat  
possessor  
oportet;

rio uoluptatem pariat, uelut calor igni gignitur, nimirum utrobique efficitur, ut quibus immota sanitas adeat his uoluptas abesse non possit. Præterea dū uescimur, inquiunt, quid aliud quām sanitas quæ labefactari cœperat, aduersus esurientem (cibo commilitone) depugnat, in qua dū paulatim inualescit, ille ipse profectus ad solitū uigorem suggerit illam, qua sic reficimur, uoluptatem. Sanitas ergo quæ in conflictu lettatur, eadē nō gaudebit adepta uictoriā: Sed pristinum robur, quod solum toto conflictu petiuerat tandem, feliciter assūcta, protinus obstupecet: nec bona sua cognoscer atque amplexabitur: Nam quod non sentiri sanitas dicta est, id uero per quām procul à uero putant. Quis enim uigilans, inquiunt, sanū esse se non sentit, nisi qui non est: quē ne tātus, aut stupor, aut lethargus adstringit, ut sanitatem non iucundā sibi fateatur ac delectabiliem: at delectatio quid aliud quām alio nomine uoluptas est: Amplectuntur ergo in primis animi uoluptates, (eas enim primas omnium príncipesque ducūt) quarum potissimum partem censem ab exercitio uirtutum bonaeque uitæ conscientia profici. Earum uoluptatū quas corpus suggerit, palmam sanitati deferunt. Nam edendi, bibendique suavitatem, & quicquid eandem ob lectamenti rationem habet, appetenda quidem, sed non nisi sanitatis gratia statuunt. Neque em per se iucunda esse talia, sed quatenus aduersæ ualitudini clanculū surrepenti

surrepenti resistunt. ideoq; sapienti, sicuti magis depre-  
candos morbos, quam optandam medicinam, & dolo-  
res profligandos potius, quam adscenda solatia, ita  
hoc quoq; uoluptatis genere non egere quam deliniri  
præstiterit, quo uoluptatis genere si quisq; se beatum  
putet, is necesse est fateatur, se tum demum fore felicissi-  
mum, si ea uita contigerit, quæ in perpetua fame, siti,  
prutitu, esu, potatione, scalptu, frictuq;, traducantur: quæ  
quam non fœda solum, sed misera etiam sit, quis non  
uidet? In simæ profecto omnium hæ uoluptates sunt,  
ut minime synceræ, neq; enim unq; subeunt, nisi con-  
trarijs coniunctæ doloribus, Nempe cum edendi uo-  
luptate copulatur esuries, idq; nō satis æqua lege. Nam  
ut uehementior, ita longior quoq; dolor est, quippe &  
ante uoluptatem nascitur, & nisi uoluptate una cōmo-  
riente, non extinguitur. Huiusmodi ergo uoluptates,  
nisi quatenus expedit necessitas, haud magni habēdas  
putāt. Gaudēt tamē etiā his, gratiōq; agnoscunt naturæ  
parentis indulgentiam, quæ foetus suos ad id quod ne-  
cessitatis causa tam assidue faciūdum erat, etiam blan-  
dissima suauitate pelliceat. Quanto enim in tedio ui-  
uendū erat, si ut cæteræ ægritudines quæ nos infestant  
rarius, ita hi j quoq; cotidiani famis ac sitis morbi, uene-  
nis ac pharmacis amaris essent abigendi? At formam,  
uires, agilitatem, hæc ut propria, iucundaq; naturæ do-  
na libēter souent. Quin eas quoq; uoluptates, quæ per-

aures, oculos, acnares admittunt, quas natura proprias  
 ac peculiares esse homini uoluit (neq; enim aliud ani-  
 mantium genus, aut mundi formam pulchritudineq;  
 suspicit, aut odorum: nisi ad cibi discrimen, ulla cōmo-  
 uetur gratia: neq; consonas inter se discordesq; sonorū  
 distantias internoscit) & has inquam ut iucunda quæ  
 dam uitæ condimenta persequuntur. In omnibus autē  
 hunc habet modum ne maiorem minor impedit, neu  
 dolorem aliquando uoluptas pariat, quod necessario  
 sequi censem, si inhonesta sit. At certe formæ decus con-  
 temnere: uires deterere, agilitatem in pigritudinem uertere,  
 corpus exaurire ieunijs, sanitati iniuriam facere: & ca-  
 tera naturæ blandimenta respuere: nisi quis haec sua cō-  
 moda negligat, dum aliorū publicam uerbi ardenter pro-  
 curat, cuius laboris uice maiorem a deo uoluptatem ex-  
 pectet: alioquin ob inanem uirtutis umbrā nullius bo-  
 no, semet affligere: uel quo aduersa ferre minus mole-  
 ste possit: nunq; fortasse uentura. hoc uero putant esse  
 dementissimū, animiç; & in se crudelis: & erga naturā  
 ingratissimi: cui tanquam debere quicç; dedignetur  
 omnibus eius beneficijs renunciat. Haec est eorum de-  
 uirtute ac uoluptate sententia: qua nisi sanctius aliquid  
 inspiret homini: cælitus immissa religio: nullam inuesti-  
 gari credunt humana ratione ueriorem: qua in re recte-  
 ne an secus sentiant, excutere nos, neq; tempus patitur,  
 neq; necesse est, quippe qui narranda eorum instituta

Annotan/  
 dū & hoc  
 diligēter.

non etiam

non etiam tuenda suscepimus. Cæterum hoc mihi certe persuadeo, ut ut sese habeat hæc decreta: nusquam nequam præstantiorem populum, nequam feliciorem esse tempus publicam. Corpore sunt agili uegetorum: uirium amplius quam statura promittat, nec ea tamen improcera: & quum nequam solo sint usquamque fertili: nec admodum salubri caelo: aduersus aerem ita sese temperantia uictus muniuntur: terræ sic medentur industria: ut nusquam gentium sit frugis, pecorisque prouentus uberior: aut hominum uiuaciora corpora: paucioribusque morbis obnoxia. Itaque non ea modo quæ uulgo faciunt agricultæ: diligenter ibi administrata conspicias: ut terram natura maligniorem, arte atque opera iuuent: sed populi manibus alibi radicitus euulsam syluam, alibi consitam uideas: qua in re habita est non ubertatis: sed uecturæ ratio: ut essent ligna, aut mari, aut fluuijs, aut urbibus ipsis uiciniora, minore enim cum labore terrestri itinere, fruges quam ligna longius afferuntur. Gens facilis ac faceta, soliters, ocio gaudes, corporis laborum (quum est usus) satis paties. Cæterum alias haud quam sanè appetentes: animi studijs infatigata. Qui quum à nobis accepissent de literis & grecæ disciplina Graecorum (Nam in latinis præter historias ac poetas nihil erat quod uidebant magnope probatur) mirum quanto studio cotenderunt, ut eas liceret ipsis: nostra interpretatione p[ro]discere. Coepimus ergo legere, magis adeo primum, ne recusare labore uideremur, quam quod

Felicitas  
Vtopiæstū  
ac descrip  
tio.

Utilitas lin  
dij

Docilitas  
Vtopiæstū  
mira.

fructū eius aliquē speraremus. At ubi paulum processimus, ipsorū diligētia fecit, ut nostrā haud frustra impē dendā animo statim præciperemus. Si quidē literarū formas, tam facile īmitari, uerba tam expedite pronunciare, tam celeriter mandare memoriae, & tanta cum fide reddere coeperunt, ut nobis miraculi esset loco, nisi quod pleraq; pars eorum, qui non sua solum sponte

At nunc sti accensi, uerū senatus quoq; decreto iussi, ista sibi discen pites & cau dices dicat. da sumptserūt: En numero scholasticorum, selectissimis literis: feli cissima in ingenij, & matura ætate fuerunt. Itaq; minus quam triennio nihil erat in lingua, quod requirerent bonos ptatib<sup>9</sup> cor autores, nisi obstet libri menda, inoffense perlegerent, rumpunt. Eas literas ut equidem coniōcio ob id quoq; facilius ar ripuerunt, quod nonnihil illis essent cognatae. Suspicio enim eam gentem a græcis originē duxisse: propterea quod sermo illorum cætera ferè Persicus, nō nulla græci sermonis uestigia seruet in urbium ac magistratum uocabulis. Habent ex me, (Nam librorum sarcinā me diocrem loco mercium quarto nauigaturus in nauem conieci quod mecum planè decreueram nunq; potius redire quam cito) Platonis opera pleraq;, Aristotelis plura, Theophrastū item de plantis, sed pluribus, quod doleo, in locis mutilum. In librum enim dum nauigabamus negligentius habitum, cercopithecus inciderat qui lasciuies ac ludibundus, paginas aliquot hinc atq; inde euulas lacerauit. Ex hijs qui scripsere grammati cam,

cam, Lascarem habent tantum, Theodorum enim nō aduexi mecum, nec dictionarium aliquem præter Hesychium, ac Dioscoridem: Plutarchi libellos habet chrysostomos, & Luciani quoq; facetijs ac lepore capiuntur. Ex poetis habent Aristophanem, Homerum, atq; Eupipidem: tum Sophodem minusculis Aldi formulis. Ex historicis Thucydidem atq; Herodotum: necnon Herodianum. Quin in re medica quoq; sodalis meus Tricius Apinatus aduixerat secum parua quædam Hippocratis opuscula, ac Microtechnen Galeni, quos libros magno in precio habent: siquidem & si omnium ferè gentium, re medica minime egent, nusq; tamen in maiore honore est, uel eo ipso quod eius cognitionem numerat inter pulcherrimas atq; utilissimas partes philosophiæ: cuius ope philosophiæ dum naturæ secreta scrutantur, uidentur sibi non solum admirabilem inde uoluptatem percipere: sed apud autorem quoq; eius, atq; opificem summam inire gratiam: Quæ cæterorum more artificum arbitratur: mundi huius uisendam machinam homini (quem solum tantæ rei capacem fecit) exposuisse spectandam: eòq; chariorem habere: curiosum ac sollicitum inspectorem, operisq; sui admiratorem: quâm eum qui uelut animal expers mentis: tantu ac tam mirabile spectaculum, stupidus immotusq; neglexerit. Vtopiensium itaq; exercitata literis ingenia mire ualent ad inuentiones artium, quæ faciant aliquid

Medicina  
utilissima.

Contempla,  
tio naturæ.

118 V T O P I A E U T H O M A E M O R I  
ad commoda uitæ compédia. Sed duas tamen debent  
nobis Chalcographorū & faciendæ chartæ, nec solis ta  
men nobis sed sibi quoq; bonam eius partem. Nam  
quum ostenderemus eis librīs chartaceis impressas ab  
Aldo literas, & de chartæ faciendæ materia, ac literas  
imprimendi facultate loqueremur: aliquid magis q; ex  
plicaremus (neq; enim quisq; erat nostrum qui alteru-  
tram calleret) ipsi statim acutissime coniecerunt rem: &  
quum ante pellibus corticibus ac papyro tantū scribe-  
rent, iam chartam ilico facere, & literas imprimere ten-  
tarunt: quæ quum primo non satis procederet, eadem  
sæpius experiēdo, breui sunt utrūq; consecuti, tantūq;  
effecerunt, ut si essent Græcorū exemplaria librorum:  
codices deesse nō possent. At nūc nihil habēt amplius,  
q; à me cōmemoratū est, id uero quod habēt impressis  
iam librīs in multa exemplariorū millia propagau-  
re. Quisquis eo spectādi gratia uenerit, quem insignis  
aliqua dos ingenij aut longa pegrinatione usum: mul-  
tarum cognitio terrarum cōmendet (quo nomine gra-  
tus fuit noster appulsus) pronis animis excipitur. Quip  
pe libenter audiunt, quid ubiq; terrarum geratur. Cæ-  
terum mercandi gratia non admodum frequenter ap-  
pellitur. Quid enim ferrent: nisi aut ferrum, aut quod  
quisq; referre mallet, autum argētūmū? Tum quæ ex  
ipsis exportanda sint, ea consultius putant ab se efferti  
quam ab alijs illinc peti, quo & exteris undiq; gentes  
explorationes

exploratores habeant, neq; maritimaru; rerum usum  
ac peritiam oblitum eant.

## DE SERVIS.

**P**ro seruis neq; bello captos habent nisi ab ipsis ge-  
sto, neq; seruorum filios: neq; deniq; quenq; que  
apud alias gentes seruientem possent comparare, sed  
aut si cuius apud se flagitium in seruitium uertitur, aut  
quos apud exteris urbes (quod genus multo frequen-  
tius est) admissum facinus destinauit supplicio. Eorum  
enim multos, interdum aestimatos uili, saepius etiam gra-  
tis impetratos, auferunt. Haec seruorum genera non in  
opere solum perpetuo: uerum etiam in uinculis habet:  
sed suos durius quos eo deploratores, ac deteriora me-  
ritos exempla censem, quod tam præclara educatione  
ad uirtutem egregie instructi: contineri tamen ab sce-  
lere non potuerint. Aliud seruorum genus est: quum  
alterius populi mediastinus quispiā laboriosus ac pau-  
per elegerit apud eos sua sponte seruire. Hos honeste  
tractant ac nisi quod laboris: ut pote consuetis, impos-  
nitur plusculum non multo minus clementer ac ciues  
habent: uolentem discedere (quod non saepe fit) neq;  
retinent inuitum, neque inanem dimittunt. Egrotan-  
tes: ut dixi, magno cum affectu curant, nihilq; pro-  
sus omittunt quo sanitati eos, uel medicinæ uel ui-  
ctus obseruatione, restituant. Quin insanibili mor-  
bo laborantes.

Mira hui  
ius gentis  
æquitas.

De agro/  
tis.

bo laborantes assidendo , colloquendo , adhibendo  
 demum quæ possunt leuamenta solantur. Cæterum  
 si non immedicabilis modo morbus sit ueruetiam per  
 petuo uexet atq; disgrutiet: tum sacerdotes ac magistra  
 tus hortantur hominem , quandoquidem omnibus ui-  
 tæ munijs impar alijs molestus ac sibi graui morti iam  
 suæ superuiuat , ne secū statuat pestem diutius ac luem  
 alere , neue quum tormentum ei uita sit mori dubitet ;  
 quin bona spe fretus acerba illa uita uelut carcere atq;  
 aculeo uel ipse semet eximat : uel ab alijs eripi se sua uo-  
 luntate patiatur : hoc illum quum non commoda , sed  
 supplicium abrupturus morte sit prudenter facturum ,  
 quoniam uero sacerdotum in ea reconsilijs , id est inter-  
 pretum dei sit obsecuturus , etiam pie sancte q; facturū .  
 Hæc quibus persuaserint : aut inedia sponte uitā finiūt ,  
 aut sopiti sine mortis sensu soluūt . Inuitum uero ne-  
 minem tollunt nec officij erga eum quicq; imminuunt  
 persuasos hoc pacto defungi honorificū . Alioqui qui  
 mortem sibi consciuerit causa non probata sacerdoti-  
 bus & senatu : hunc neq; terra neq; igne dignantur : sed  
 in paludem aliquam turpiter insepultus abiicitur .

Decon-  
 iugis . Fœmina non ante annum duodeuicesimū nubit . Mas  
 non nisi expletis quatuor etiā amplius . Ante coniugiū ,  
 mas aut fœmina si conuincatur furtiuæ libidinis , graui-  
 ter in eū ea m̄ue animaduertit : coniugio q; illis in totū  
 interdicitur , nisi uenia principis noxam remiserit , sed &  
 pater

Mors spon-  
 tanea .

pater & materq; familias cuius in domo admissum fla-  
gitium est: tanq; suas partes parum diligēter tutati ma-  
gnæ obiacent infamia: id facinus ideo tam seuere uin-  
dicant, quod futurum prospiciunt, ut rari in coniugalē  
amorem coalescerent: in quo ætatem omnem cum uno  
uideant exigendā: & perferendas insuper quas ea res  
affert molestias, nisi à uago concubitu diligēter arcean-  
tur. Porro in diligendis coniugib; ineptissimū ritum  
(uti nobis uisum est) ad primeq; ridiculum, illi serio ac  
seuere obseruant. Mulierem enim seu uirgo seu uidua  
sit, grauis & honesta matrona proco nudam exhibit,  
ac probus aliquis uir uicissim nudum puellæ procum-  
sistit. Hunc morem quum uelut ineptum ridentes im-  
probaremus, illi contra cæterarum omnium gentium  
insignem demirari stultitiam, qui quū in equuleo com-  
parando, ubi de paucis agitur nummis, tam cauti sint,  
ut q; quis ferè nudū nisi detracta sella tamen, omnibusq;  
reuulsis ephippijs recusent emere, ne sub illis operculis  
hulcus aliquod delitesceret, in diligenda coniuge, qua  
ex re aut uoluptas, aut nausea sit totā per uitam comi-  
tatura, tam negligenter agant, ut reliquo corpore uesti-  
bus obuoluto, totam mulierē uix ab unius palmæ spa-  
tio (nihil enim præter uultum uisitatur) æstiment adiun-  
gantq; sibi non absq; magno (si quid offendat postea)  
male cohæredi periculo. Nam neq; omnes tam sapiē-  
tes sunt ut solos mores respiciant, & in ipsorum quoq;

Et si parū  
uerecūde  
haud ta/  
men in/  
caute.

q sapientum

sapientum coniugij, ad animi virtutes non nihil additamentum corporis etiam dotes adjiciunt, certe tam foeda deformitas, latere sub illis potest inuolucris ut alienare prorsus animum ab uxore queat, quum corpore iam seiuangi non liceat: Qualis deformitas si quo casu contingat post contractas nuptias, suam quisque sortem necesse ferat, ante uero ne quis capiatur insidijs, legibus caueri debet, idque tanto maiore studio fuit curandum quod & soli illarum orbis plagarum singulis sunt contenti coiuigibus: & matrimonium ibi haud saepe aliter, que morte soluitur: nisi adulterium: in causa fuerit, aut morum non ferenda molestia. Nempe alterutri sic offenso facta absenatu coniugis mutadi uenia: alter infamem simul ac cælibem perpetuo uitam dicit. Alioquin inuitam coniuge, cuius nulla sit noxa repudiare, quod corporis obtigerit calamitas, id uero nullo pacto ferunt: nam & crudeliter iudicant, tum quemque deseriri, cum maxime eget solatio, & senectuti, quum & morbos afferat & morbus ipsa sit: incertam atque infirmam fidem fore. Cæterum accidit interdum ut quum non satis inter se coniugum conueniant mores repertis utrique alijs quibus cum sperent se suauius esse uicturos amborum sponte separati: noua matrimonia contrahant, haud absque senatus auctoritate tamen, qui nisi causa per se atque uxores suas diligenter cognita: diuertia non admittit. Imo ne sic quidem, facile, quod rem minime utilem sciunt firmandæ coniugum

coniugum charitati, facilem nouarū nuptiarum spem  
esse propositam. Temeratores coniugij grauissima  
seruitute plectuntur, & si neuter erat cælebs, iniuriam  
passi (uelint modo) repudiatis adulteris coiugio in-  
ter se ipsi iunguntur alioquin quibus videbitur. At  
si læsorum alteruter erga tam male merentem con-  
iugem: in amore persistat: tamen uti coniugij lege  
non prohibetur si uelit in opera damnum sequi:  
acciditq; interdum ut alterius poenitentia alterius of-  
ficiosa sedulitas miserationem commouens principi,  
libertatem rursus impetret. Cæterum ad scelus iam  
relapso nex infligitur. Cæteris facinoribus nullam cer-  
tam poenam lex ulla præstituit: sed ut quodq; atrox,  
aut contra usum est: ita supplicium senatus decer-  
nit. Vxores mariti castigant, & parentes liberos: ni/  
si quid tam ingens admiserint: ut id publice puniri,  
morum interfit. sed ferè grauissima quæq; sceleris ser-  
uitutis incommodo puniuntur, id siquidem & sceleris  
non minus triste: & reipublicæ magis commo-  
dum arbitrantur, quam si mactare noxios & proti-  
nus amoliri festinent. Nam & labore quam nece ma-  
gis prosunt, & exemplo diutius alios ab simili flagitio  
deterrent. quod si sic habiti rebellent atq; recalcitrent,  
tum demum uelut indomitæ beluae. quos cohercere  
carcer & catena non potest, trucidantur. At patientibus  
nō adimit' omnis omnino spes: quippe longis domiti

Aestima-  
tio suppli-  
cij penes  
magistra-  
tum.

q 2 malis

malis si eam poenitentiam præ se ferant, quæ peccatum testetur magis eis disPLICERE quam poenam, principis interdum prærogatiua: interdū suffragijs populi, aut mi-

*Stupri sol/  
licitati poe/  
na.* tigatur seruitus aut remittitur. Sollicitasse ad stuprum nihilo minus quam stuprasse periculi est. In omni siqui

dem flagitio certum destinatumq; conatum æquant facto. neq; enim id quod defuit ei putant prodesse de-

*Voluptas  
e morio/  
nibus.* bere: per quem nō stetit: quo minus nihil defuerit. Moriones in delitijs habentur, quos ut affecisse contume-

lia magno in probro est, ita uoluptatem ab stultitia ca- pere non uerant. Si quidem id morionibus ipsis maxi- mo esse bono censem, cuius qui tam seuerus ac tristis est ut nullum neq; factum neq; dictum rideat ei tutan dum non credunt, ueriti ne non satis indulgenter cure- tur ab eo, cui non modo nulli usui, sed ne oblectamen- to quidem (qua sola dote ualent) futurus esset. Irride re deformem aut mutilum, turpe ac deformem nō ei, qui ridetur, habetur, sed irrisori qui cuiq; quod in eius po- testate nō erat ut fugeret, id uitij loco stulte exprobret.

*Fucata  
forma.* Ut enim formā naturalem nō tueri segnis atq; inertis ducunt, sic adiuumentū ab fucis quærere infamis apud illos insolentia est. Vsu enim ipso sentiunt, quam non ullum formæ decus uxores æque ac morum probitas

Et præmijs & reuerentia cōmendet maritis. Nam ut forma nōnulli inuitādi ci- ues ad offi- li sola capiuntur, ita nemo nisi uirtute atq; obsequio re- cium. tinetur. Non poenis tantum deterrent à flagitijs, sed

propositis

propositis quoq; honoribus ad uirtutes inuitat, ideoq;  
 statuas uiris insignibus & de republica præclare meritis  
 in foro collocant, in rerum bene gestarum memoriam,  
 simul ut ipsorum posteris maiorum suorum gloria cal-  
 car & incitamentum ad uirtutem sit. Qui magistratum  
 ullum ambierit exspes omnium redditur. Conuiunt  
 amabiliter, quippe nec magistratus ullus insolens, aut  
 terribilis est: patres appellantur: & exhibent. ijsdem de-  
 fertur: ut debet: ab uolentibus honor: no ab inuitis exi-  
 gitur. Ne principem quidē ipsum, uestis aut diadema,  
 sed gestatus frumenti manipulus discernit, ut pontifi-  
 cis insigne est prælatus cereus. Leges habent per quam  
 paucas, sufficiunt enim sic institutis paucissimæ. Quin  
 hoc in primis apud alios improbant populos, quod le-  
 gum interpretumq; uolumina, non infinita sufficiunt.  
 Ipsi uero censem iniquissimum: ullos homines his obli-  
 gari legibus: quæ aut numerosiores sint, quam ut perle-  
 gi queant: aut obscuriores quam ut à quoquis possint  
 intelligi: porrò causidicos: qui causas tractent callide:  
 ac leges uafre, disputent: profus omnes excludunt. cen-  
 sent enim ex usu esse: ut suam quisq; causam agat: ea/  
 demq; referat iudici: quæ narraturus patrono fuerat.  
 Sic & minus ambagum fore & facilius elici ueritatem.  
 dum eo dicente: quem nullus patronus fucum docuit:  
 iudex solerter expendit singula: & contra uersutorum  
 calumnias simplicioribus ingenij opitulat. hæc apud

Damnat⁹  
ambitus.  
Honor ma-  
gistratuū.  
Dignitas  
principis.

Leges  
paucæ.

Aduocato/  
rum inuti/  
lis turba:

alias gentes: in tanto perplexissimarum aceruo legum difficile est obseruari. Cæterum apud eos unusquisque est legis peritus. Nam & sunt (ut dixi) paucissimæ: & interpretationum præterea ut quæcumque est maxime crasfa: ita maxime æquam censem. Nempe quum omnes leges (inquiunt) ea tantum causa promulgantur: ut ab his quiisque sui commonefiat officij: subtilior interpretatione paucissimos admonet (pauci enim sunt qui assequantur) quum interim simplicior ac magis obuius legum sensus: omnibus in apto sit: alioquin quod ad uulnus attinet: cuius & maximus est numerus & maxime eget admonitu: quid referat utrum legem omnino non condas: an conditam in talem interpreteris sententiam: quam nisi magno ingenio & longa disputatione nemo possit eruere: ad quam inuestigandā neque crassum uulgi iudicium queat attingere: neque uita in comparando uictu occupata sufficere. His eorum uitutibus incitatæ finitimi: qui quidem liberi sunt & suæ spontis (Multos enim ipsi iam olim tyrannide liberauerunt) magistratus sibi: ab illis alijs quotannis: alijs in lustrum imperant: quos defunctos imperio, cum honore ac laude reducunt: nouoscet secum rursus in patria reuehunt. Atque hi quidem populi optime profecto ac saluberrime reipublicæ suæ consulunt: cuius & salus & pernicies, quum ab moribus magistratum pendeat: quos nam potuissent elegisse prudentius, quam qui neque

neq; ullo precio queant ab honesto deduci (ut pote  
quod breui sit remigraturis inutile) ignoti ciuib; aut  
prauo cuiusq; studio aut similitate flecti. Quæ duo  
mala, affectus atq; auaritiae, sicuti incubere iudicijs, il-  
lico iustitiam omnem, fortissimum reipublicæ neruum  
dissoluunt. Hos Vtopiani populos, quibus qui impe-  
rent ab ipsis petunt, appellant socios, cæteros quos be-  
neficij auxerūt amicos uocat. Fœdera quæ reliquæ De fœde/  
inter se gentes toties ineunt: frangunt ac renouant, ipsi ribus.  
nulla cum gente feriunt. Quorsum enim fœdus inqui-  
unt: quasi non hominem homini satis natura conciliet.  
quamq; qui contempserit, hunc uerba scilicet putes cura-  
turum. In hanc sententiam eo uel maxime trahuntur,  
quod in illis terrarum plagijs, fœdera pactaq; principū  
solent parum bona fide seruari. Etenim in Europa idq;  
his potissimum partibus quas CHRISTI fides & religio  
possidet, sancta est & inuiolabilis ubiq; maiestas fœde-  
rū, partim ipsa iustitia & bonitate principum, partim  
summorū reuerentia metuq; pontificū, qui ut nihil in  
se recipiunt ipsis: quod non religiosissime præstant. ita  
cæteros omnes principes iubent, ut pollicitis omnibus  
modis immorentur, tergiuersantes uero pastorali cen-  
sura & seueritate compellunt. Merito sane censent tur-  
pissimam rem uideri si illorum fœderibus absit fides:  
qui peculiari nomine fideles appellantur. At in illo no-  
vo orbe terrarum, quæ circulus æquator uix tam longe

ab hoc nostro orbe semouet: q̄ uita moresq; dissidēt:  
fœderum nulla fiducia est: quorum ut quoq; plurimis  
ac sanctissimis ceremonijs innodatum fuerit: ita citissi-  
me soluitur inuēta facile in uerbis calumnia, quæ sic in-  
terim de industria dicitant callide: ut nunq; tam firmis  
adstringi uinculis queant: quin elabantur aliqua, fœ-  
duſq; & fidem pariter eludant. Quam uafriciem, imo  
quām fraudem dolūmq; si priuatorum deprehenderēt  
interuenisse contractui: magno supercilie rem sacrile-  
gam: & furca dignam clamitarent, hi nimirum ipsi: qui  
eius consilij principibus dati: semet gloriātur Autores.  
Quo sit ut iustitia tota uideatur, aut nō nisi plebea uir-  
tus & humilis, quæq; longo interuallo subsidat infra re-  
gale fastigium: aut uti saltem duæ sint quarum altera  
uulgus deceat, pedestris & humirepa: neue usq; septa  
transilire queat, multis undiq; restricta uinculis, altera  
principum uirtus, quæ sicuti sit quām illa popularis au-  
gustior: sic est etiā longo interuallo liberior, ut cui nihil  
non liceat nisi quod non libeat. Hos mores ut dixi  
principum: illic fœdera tam male seruantium puto in  
causa esse: ne ulla feriant Vtopienses: mutaturi fortal-  
se sententiam si hic uiuerent. Quancq; illis uidetur ut  
optime seruentur: male tamen inoleuisse fœderis omni-  
no sanciendi consuetudinem qua sit, ut (perinde ac si  
populum populo: quos exiguo spacio, collis tantum  
aut riuus discriminat: nulla naturæ societas copularet)  
hostes

hostes atque inimicos inuicem se se natos putent, meritoq; in mutuam grassari perniciem, nisi foedera prohibeant, quin his ipsis quoq; initis, non amicitiam coalescere, sed manere prædandi licentiam, quatenus per imprudētiam dictandi foederis, nihil quod prohibeat satis caute comprehensum in pactis est. At illi contra censem, neminem pro inimico habendum, à quo nihil iniuriae profectum est. Naturæ consortium, foederis uice esse, & satius, ualentiusq; homines inuicem beneuolentia, quam pactis, animo quam uerbis connecti.

## DE RE MILITARI.

**B**Ellum utpote rem planè beluīnam, nec ulli tamen beluarum formæ in tam assiduo, atq; homini est usu, summopere abominantur, contrāq; morem gentium fermè omniū nihil æque ducunt inglorium, atq; petitam è bello gloriam. eōq; licet assidue militari se disciplina exerceant, neque id uiri modo, sed fœminæ quoque, statis diebus, ne ad bellum sint, quum exigat usus, inhabiles: non temere capessunt tamen, nisi quo aut suos finēs tueātur, aut amicorum terris, infusos hostes propulsent, aut populum quempiam tyrannide pressum, miserati, (quod humanitatis gratia faciunt) suis uiribus Tyrāni iugo, & seruitute liberent. Quanquam auxilium gratificantur amicis non semper quidem, quo se defendant, sed interdum quoq; illatas retalient,

lient, atq; ulciscantur iniurias. uerum id ita demum faciunt, si re adhuc integra consulantur ipsi, & probata causa, repetitis ac non redditis rebus belli autores inferendi sint, quod non tunc solum decernūt, quoties hostili incursu abacta est præda. uerum tum quoque multo infestius, quum eorum negotiatores usquam gentium, uel iniquarum prætextu legum, uel sinistra deriuatione bonarum, iniustam subeunt, iustitiae colore, calumniam. Nec alia fuit eius origo belli, quod pro Nephelogetis aduersus Alaopolitas, paulo ante nostram memoriam, Vtopienses gessere, quam apud Alaopolitas Nephelogetarum mercatoribus illata prætextu iuris (ut uisum est ipsis) iniuria certe, siue illud ius, siue ea iniuria fuit, bello tam atroci est vindicata, quū ad proprias utriusq; partis uires, odiacq; circūiectarum etiam gentium studia atque opes adiungerentur, ut florentissimis populorum alijs concussis, alijs uehementer affictis, orientia ex malis mala, Alaopolitarum seruitus demum, ac deditio finierit, qua in Nephelogetarum (necq; enim sibi certabant Vtopienses) potestatem concessere, gentis, florentibus Alaopolitarum rebus, haud quaquam cum illis conferendæ. Tam acriter Vtopienses amicorum, etiam in pecunij, iniuriam persequuntur, suas ipsorum, non item, qui sicubi circumscripti bonis excidant, modo corporibus absit uis hactenus irascuntur, uti quoad satisfactio fiat, eius commercio getis abstinent.

neant. Non quod minoris sibi curæ ciues, q̄b̄ socij sint,  
sed horum tamen pecuniam intercipi, ægrius q̄b̄ suam  
ferunt, propterea quod amicorum negotiatores, quo-  
niam de suo perdunt priuato, graue uulnus ex iactura  
sentiunt. At ipsorum ciuibus nihil nisi de publica perit,  
præterea quod abundabat domi, ac ueluti supererat,  
alioqui non emittendum foras. Quo fit uti intertri-  
mentum citra cuiusquam sensum accidat. Quo circa ni-  
mis crudele censem id damnum multorum ulcisci mor-  
tibus, cuius damni incommodum nemo ipsorum, aut  
uita, aut uictu persentiscat. Cæterum si quis suorū usq̄  
per iniuriam debilitetur, aut occidat, siue id publico fa-  
ctum consilio, siue priuato sit, per legatos re comperta,  
nisi deditis noxijs placari nō possunt, quin illico bellum  
denuncient. Noxæ deditos, aut morte, aut seruitio pu-  
niunt. Cruentæ uictoriæ non piget modo eos, sed pu-  
det quoq; reputantes inscitiam esse quālibet preciosas Magno  
merces nimio emisse, arte dolocq; uictos, oppressos ho-  
stes impendio gloriantur, triūphumq; ob eam rē publi-  
citus agunt, & uelut re strenue gesta, tropheū erigunt.  
tunc enim demum uiriliter sese iactant, & cum uirtu-  
te gessisse, quoties ita uicerint, quomodo nullum ani-  
mal præter hominē potuit, id est ingenij uiribus. Nam  
corporis inquiūt ursi, leones, apri, lupi, canes, cæteræq;  
beluæ dimicant, quarum ut pleræq; nos robore ac fero-  
cia uincunt, ita cunctæ ingenio, & ratione superantur.

Hoc unum illi in bello spectant, uti id obtineant, quod si fuissent ante consequuti, bellum non fuerant illaturi, aut si id res ueret, tam seueram ab his vindictam expectunt, quibus factum imputant, ut idem ausuros in posterum terror absterreat. Hos propositi sui scopos destinant, quos mature petunt, at ita tamē, uti prior uitandi periculi cura, quam laudis aut famæ cōsequendæ sit. Itaque protinus iudicio bello, schedulas ipsorum publico signo roboratas, locis maxime cōspicuis hostiæ terræ, clām uno tempore multas appendi procurant, quibus ingentia pollicentur præmia, si quis principem aduersarium sustulerit, deinde minora quanq; illa quoq; egregia decernunt, pro singulis eorum capitib; quorum nomina in iisdem literis proscribūt, hi sunt quos secundum principem ipsum, autores initi aduersus se consiliū ducunt. Quicquid percussori præfiniunt, hoc gerinat ei, qui uiuu ē proscriptis aliquē ad se pduxerint, quum ipsos quoq; proscriptos, præmijs iisdem, addita etiam impunitate, contra socios inuitant. Itaque fit celeriter, ut & cæteros mortales suspectos habeant, & sibi in uicem ipsi, neq; fidentes satis, neq; fidi sint, maximōq; in metu & non minore periculo uersentur. Nam saepè numero constat euenisce, uti bona pars eorum & princeps in primis ipse ab his proderentur, in quibus maximam spem reposuerunt. Tam facile quodvis in facinus impellūt munera, quibus illi nullum exhibent modum.

dum. Sed memores in quantum discrīmen hortantur,  
operam dant, uti periculi magnitudo beneficiorū mo-  
le compensetur. eōq; non immensam modo auri uim,  
sed prædia quoq; magni redit⁹ in locis apud amicos tu-  
tissimis, propria ac perpetua pollicitantur, & summa cū  
fide præstant. Hunc licitandi mercandiç hostis morē,  
apud alios improbatum, uelut animi degeneris crude-  
le facinus illi magnæ sibi laudi ducunt, tanq; pruden-  
tes, qui maximis hoc pacto bellis, sine ullo prorsus præ-  
lio defungantur, humanic; ac misericordes etiam, qui  
paucorum nece noxiorum, numerosas innocentium ui-  
tas redimāt, qui pugnando fuerint occubituri. Partim  
è suis, partim ex hostibus, quorum turbam, uulgusq;  
non minus fermè quam suos miserantur, gnari nō sua  
sponte eos bellum capessere, sed p̄incipum ad id furijs  
agi. Si res hoc pacto non procedat, dissidiorum semi-  
na iaciunt, aluntq; fratre p̄incipiis, aut aliquo è nobili-  
bus in spem potiundi regni perducto. Si factiones in-  
ternæ languerint, finitimas hostibus ḡetes excitāt, com-  
mittuntq; eruto uetusto quopiam titulo, quales nunq;  
regibus desunt, suas ad bellum opes polliciti, pecuniā  
affluenter suggerunt. Ciues parcissime, quos tam unice  
habent charos, tantiç; sese mutuo faciunt, ut neminem  
sint è suis cum aduerso principe libenter commutatu-  
ri. At aurum, argentiūq; quoniam unū hunc in usum  
omne seruant, haud grauatim erogant. utpote non mi-

nus cōmode uicturi, etiam si uniuersum impenderent.  
Quin præter domesticas diuitias est illis foris quoque  
infinitus thesaurus, quo plurimæ gentes, uti ante dixi,  
in ipsorum ære sunt. ita milites undiq; conductos ad  
bellum mittunt, præsertim ex Zapoletis. Hic populus  
quingentis passuum millibus ab Vtopia distat, orien-  
tem solem uersus, horridus, agrestis, ferox, sylvas mon-  
tesq; asperos, quibus sunt innutriti, præferunt. Dura  
gens, æstus, frigoris, & laboris patiens, delitiarū expers  
omniū, neque agriculturæ studens, & cum ædificiorum  
tum uestitus indiligens, pecorum duntaxat curam ha-  
bent. Magna ex parte uenatu & raptu uiuunt. Ad so-  
lum bellum nati, cuius gerendi facultatē studiose quæ-  
runt, repertā cupide amplectuntur, & magno numero  
egressi, cuiuis requirenti milites uili semet offerūt. Hanc  
unam, uitæ artem nouerūt, qua mors quæritur, sub qui-  
bus merent, acriter pro hijs & incorrupta fide dimicāt.  
Verum in nullum certum diem sese obstringunt, sed ea  
lege in partes ueniunt, ut posteriore die, uel ab hosti-  
bus, oblato maiore stipendio sint statuti, ijdem peren-  
die rursus inuitati plusculo remigrant. Rarum oritur  
bellum, in quo non bona pars illorū in utroq; sint exer-  
citū. itaq; accidit quotidie, ut sanguinis necessitudine,  
coniuncti, qui & iisdem in partibus conducti familia-  
rijs distracti copias, hostiliter concurrant. & infestis ani-  
mis,

mis, obliti generis, immemores amicitiae, mutuo se se  
fodiant, nulla alia causa in mutuam incitati perniciem,  
quam quod à diuersis principibus exigua pecuniola  
conducti, cuius tam exactam habent rationem, ut ad  
diurnū stipendum unius accessione assis facile ad com  
mutandas partes impellantur. Ita celeriter imbiberunt  
auaritiam, quæ tamen nulli est eis usui. Nam quæ san  
guine querunt, protinus per luxum, & eum tamen mi  
serum consumunt. Hic populus Vtopiensibus aduer  
sus quo suis mortales militat, quod tanti ab his eorum  
conducatur opera quanti nusquam alibi. Vtopienses si  
quidē ut bonos querunt quibus utantur ita hos quoq;  
homines pessimos quibus abutantur. quos quū usus  
postulat, magnis impulsos pollicitationibus, maximis  
obiciunt periculis, unde pleruncq; magna pars nuncq;  
ad exigēda promissa reuertitur, superstitibus, quæ sunt  
polliciti bona fide, persoluunt, quoad similes ausus in  
cendantur. Neq; enim pensi quicquam habent, quam  
multos ex eis perdant. rati de genere humano maxi  
mam merituros gratiam se, si tota illa colluuie populi  
tam tetri, ac nepharij orbem terrarū purgare possent.  
Secundum hos eorum copijs utuntur, pro quibus ar  
ma capiunt, deinde auxiliaribus cæterorum amicorum  
turmis. Postremo suos ciues adiungunt, è quibus ali  
quem uirtutis probatae uirum, totius exercitus summæ  
præficiunt. Huic duos ita substituunt, ut eo incolumi  
ambo

ambo priuati sint, capto aut interempto, alter è duob<sup>9</sup>  
uelut hæreditate succedat, eiç ex euentu tertius, ne (ut  
sunt bellorum fortis uariæ) periditante duce totus per-  
turbetur exercitus. E quaq; ciuitate delectus exercetur  
ex his, qui sponte nomen profitentur. neque enim inui-  
tus quisquam foras in militiam truditur, quod persua-  
sum habeant, si quis sit natura timidior, nō ipsum mo-  
do nihil facturum strenue, sed metum etiam comiti-  
bus incussurum. Cæterum si quod bellum ingruat in  
patriam, ignauos huiusmodi, modo ualeant corpore,  
in naues mixtos melioribus collocat: Aut in mœnibus  
sparsim disponunt. unde non sit refugiendi locus. ita  
suorum pudor, hostis in manibus, atq; adempta fugæ  
spes, timorem obruunt, & sape extrema necessitas in  
uirtutem uertitur. At sicuti ad externū bellum ex ipsis  
nemo protrahitur nolens, ita foeminas uolentes in mi-  
litiam comitari maritos, adeo non prohibent, ut exhor-  
tentur etiam, & laudibus incitent, profectas cum suo  
quarinq; uiro, pariter in acie constituunt. tum sui quemq;  
liberi affines cognati circunsistunt, ut hi de proximo  
sint mutuo sibi subsidio, quos maxime ad ferendas  
inuicem suppetias natura stimulat. In maximo pro-  
bro est coniunx absq; coniuge redux, aut amissio paren-  
te reuersus filius. quo fit, ut si ad ipsorū manus uentū  
sit modo perstet hostes, longo & lugubri prælio ad in-  
ternitionem usque decernatur. Nempe ut omnibus cu-  
rant

sant modis ne ipsis dimicare necesse sit, modo bello possint uictoria conductitiorum manu defungi, ita quū uitari non potest quin ipsi in eant pugnam, tam intrepidè capessunt, quām quoad licuit prudenter detrectabant, nec tam primo ferociunt impetu quām mora sensim & duratione inualescunt, tam affirmatis animis ut interim citius quām auerti queant: Quippe uictus illa securitas quae cuīq; domi est, ademptāq; de posteris anxia cogitādi cura (Nam hæc solitudo generosos ubique spiritus frangit) sublimem & uinci dedianter facit. Ad hæc militaris disciplinæ peritia fiduciam præbet, postremo rectæ opinions (quibus & doctrina & bonis reipublicæ institutis imbuti à pueris sunt) uirtutē addunt. qua neq; tam uilem habent uitam, ut temere prodigant, neq; tam improbe charam, ut quum honestas ponendam suadeat, auare turpiterq; retineat. Dū ubiq; pugna maxima feruet, lectissimi iuuenes coniurati, deuotissimi, ducem sibi depositū aduersum, hūc aper te inuadunt, hunc ex insidijs adoriuntur, idem eminus idem cominus petitur, longōq; ac ppetuo cuneo, summissis assidue in fatigatorum locum recentibus, oppugnatur. raroq; accidit (ni sibi fuga prospiciat) ut non intereat aut uiuus in hostium potestate ueniat. Si ab ipsis uictoria sit, haud quaquam cede grassantur, fugatos enim comprehendunt, quām occidunt libentius, neq; unquam ita persequuntur fugientes, ut non una

Dux potis  
simum im  
petendus,  
quo citius  
finiatur  
bellum.

interim sub signis instructam aciem retineant, adeo  
uisi cæteris superati partibus, postrema acie sua uictoriam  
adepti sint, elabi potius hostes uniuersos sinant,  
quam insequi fugientes perturbatis suorum ordinibus  
insuescant. memores sibi metu, haud semel usu uenisse,  
ut mole totius exercitus uicta profligataq; quū hostes  
uictoria gestientes, hac atq; illac abeuntes persequerē  
tur, pauci ipsorum in subsidijs collocati ad occasiones  
intenti, dispersos ac palantes illos & præsumpta securi  
tate negligentes derepente adorti, totius euentum præ  
lii mutauerunt. extortaq; è manibus tam certa & indu  
bitata uiatoria, uiicti uiatores inuicem uicerunt. Haud  
facile dictu est, astutiores instruendis insidijs, an cautio  
res ad uitandas sient, fugam parare credas, quum ni  
hil minus in animo habent, contra quum id consiliij ca  
piunt, nihil minus cogitare putes. Nam si nimium sese  
sentiunt, aut numero, aut loco premi, tunc aut noctu,  
agmine silente, castra mouent, aut aliquo stratagemai  
te eludunt, aut interdiu ita sensim sese referunt, tali ser  
uato ordine, ut non minus periculi sit cedentes quam  
instantes adoriri. Castra diligentissime communiunt  
fossa prealta lataque, terra quæ egeritur introrsum reie  
cta, nec in eam rem opera mediastinorū utuntur, ipso  
rum manibus militum res agitur, totusq; exercitus in  
opere est, exceptis qui pro uallo in armis ad subitos ca  
sus excubant. Itaq; tam multis adnitentibus, magna  
multusq;

multumq; amplexa loci munimenta, omni fide citius perficiunt. Armis utuntur ad excipiendos ictus, firmis, nec ad motum gestumue quemlibet ineptis, adeo ut ne natando quidem molesta sentiant. Nam armati natare inter militaris disciplinæ rudimenta consuescūt, tela sunt eminus sagittæ, quas acerrime simul & certissime iaculantur non pedites modo, sed ex equis etiam, cominus uero nō gladij, sed secures uel acie letales, uel pondere seu cæsim, seu puctim feriant. Machinas exco gitant solertissime, factas accurratissime cælant ne ante pditæ quam res postulet. Ludibrio magis quam usui sint, in quibus fabricandis hoc in primis respiciunt, uti uectu faciles & habiles circumactu sint. Initas cum De indu, hostibus inducias tam sancte obseruant, ut ne lacefitti cīs. quidem uiolent. Hostilem terram non depopulan tur, neque segetes exurunt, imo ne hominum equorumue pedibus, conterantur, quantum fieri potest prouident, rati in ipsorum usus crescere. Inermem neminem lædunt, nisi idem speculator sit. Deditas urbes tueruntur, at nec expugnatas, diripiunt, sed per quos deditio est impedita eos enecant, cæteris defensoribus intseruitutem addictis. Imbellem turbam omnem relin quunt intactam. Si quos deditiōnem sualisse compere rit, his è damnatorum bonis aliquam partem impar tiunt, reliqua sectione auxiliares donant. Nam ipsorum nemo quicquam de præda capit. Cæterum confecto

s 2 bello,

At hodie Victores maximam partem dependent.  
 bello, non amicis impensas in quos insumpserit, sed ut  
 etis imputant, exiguntq; eo nomine, partim pecuniam  
 quam in similes bellorum usus reseruant, partim præ-  
 dia quæ sint ipsis apud eos perpetua non exigui cen-  
 sus. Huiusmodi reditus nunc apud multas gentes ha-  
 bent, qui uarijs ex causis paulatim nati, supra septen-  
 genta ducatorum millia in singulos annos excreuere,  
 in quos è suis ciuibus aliquos emittunt quæstorum no-  
 mine, qui magnifice uiuant, personañq; magnatum il-  
 lic præ se ferant, at multum tamen superest quod infe-  
 ratur ærario, nisi malint eidem genti credere, quod sa-  
 pe tantisper faciunt, quoad uti necesse sit uixq; accidit  
 unquam, ut totam reposcant. Ex his prædijs partem as-  
 signant illis, qui ipsorum hortatu tale discrimen adeut  
 quale ante monstraui, si quis princeps armis aduersus  
 eos sumptis, eorum ditionem paret inuadere, magnis  
 illico uiribus extra suos fines occurrit: nam neq; teme-  
 re in suis terris bellum gerunt, neq; ulla necessitas tanta  
 est, ut eos cogat aliena auxilia in insulam suam admis-  
 tere.

## DE RELIGIONIBVS

## UTOPIENSIVM.

**R**ELIGIONES sunt non per insulam modo:  
 querum singulas etiam urbes uariae, alijs Solem,  
 Lunam alijs, alijs aliud errantium syderum dei uice

uenerantibus, sunt quibus homo quispiam, cuius  
olim aut uirtus aut gloria enituit, non pro deo tan-  
tum, sed pro summo etiam deo suspicitur. At multo  
maxima pars, eademq; longe prudētior, nihil horum,  
sed unum quoddam numen putant, incognitum, æter-  
num, immensum, inexplicabile, quod supra mentis hu-  
manæ captum sit, per mundum hunc uniuersum, uirtu-  
te non mole diffusum, hunc parentem uocant. Origines,  
auctus, progressus, uices, fineq; rerum omnium.  
huic acceptos uni referūt, nec diuinos honores alij præ-  
terea ulli, applicant. Quin cæteris quoq; omnibus, quā/  
quām diuersa credentibus, hoc tamen cum istis conue-  
nit, quod esse quidem unum censem summum, cui &  
uniuersitatis opificium, & prouidētia debeatur, euīmcq;  
communiter omnes patria lingua Mythram appell-  
lant, sed eo dissentunt, quod idem aliis apud alios ha-  
betur. Autumāte quoq; quicquid id sit, quod ipse sum-  
mum ducit, eandem illam prorsus esse naturam, cuius  
unius numini ac maiestati, rerum omnium summa,  
omnium consensu gentium tribuitur. Cæterum paula-  
tim omnes ab ea superstitionum uarietate desciscunt,  
atq; in uham illam coalescūt religionem, quæ reliquas  
ratione uidetur antecellere. Necq; dubium est quin cæ-  
teræ iam pridem euauissent, nisi quicquid improspe-  
rum cuiquam inter mutandæ religionis cōsilia fors ob-  
iecisse, non id accidisse casu, sed cælitus immisum inter-

pretaretur timor, tanq; numine, cuius relinquebatur cultus, impium contra se propositum vindicante. At posteaq; acceperunt à nobis CHRISTI nomen, doctrinam, mores, miracula, nec minus mirandam tot martyrum constantiam, quorum sponte fusus sanguis, tam numerosas gentes in suam sectam longe latéque traduxit, non credas quām pronis in eam affectibus etiā ipsi concesserint, siue hoc secretius inspirante deo, siue quod eadem ei uisa est hæresi proxima, quæ est apud ipsos potissima, quanquām hoc quoq; fuisse non paucum momenti crediderim, quod CHRISTO cōunem suorum uictum audierant placuisse, & apud germanissimos Christianorū conuentus adhuc in usu esse. Cer-

**Cœnobia** te quoquo id momento accidit, haud pauci nostram in religionem coierunt Lymphac; sacra sunt abluti. Verum quoniam in nobis quatuor (totidem enim duntur supereramus, nam duo fatis concesserant) nemo id quod doleo, sacerdos erat. Cæteris initiati, ea tamē adhuc sacramenta desyderant, quæ apud nos non nisi sacerdotes conferunt, intelligunt tamen, optantq; ita ut nihil uehementius. quin hoc quoq; sedulo iam inter se disputant an sine Christiani pontificis missu quisq; e suo numero delectus sacerdotij consequatur charactem. & electuri, sanè uidebātur. uerum quum ego discederem, nondum elegerant. Quin hi quoque religio-

ni Christianæ

ni Christianæ, qui non assentijunt, neminem tamen ab  
sterrent, nullum oppugnant imbutum. Nisi quod  
unus ē nostro cœtu me præsente cohæcitus est. Is  
quum recens ablutus, nobis contra suadentibus, de  
CHRISTI cultu publice maiore studio, quām pru-  
dentia differeret, usqueadeo cœpit incalescere, ut iam  
nostra modo sacra cæteris anteferret, sed reliqua pro-  
tenus uniuersa damnaret. Prophana ipsa, cultores  
impios ac sacrilegos, æterno plectendos igni uocifera-  
retur. Talia diu concionantem comprehendunt, ac re-  
um non spretæ religionis, sed excitati in populo tu-  
multus agunt peraguntque, damnatum, exilio mul-  
tant, siquidem hoc interim antiquissima instituta nu-  
merant, ne sua cuiquam religio fraudi sit. Vt opus  
enim iam inde ab initio, quum accepisset incolas an-  
te suum aduentum de religionibus inter se assidue di-  
micasse, atque animaduertiſſet eam rem, quod in com-  
mune dissidentes, singulæ pro patria sectæ pugna-  
bant, occasionem præstisſe sibi uincendarum omni-  
um, adeptus uictoriā in primis sanxit, uti quām cui  
que religionem libeat sequi liceat, ut uero alios quo-  
que in suam traducat, haec tenus niti possit, uti pla-  
cide, ac modeste suam rationibus astruat, non ut acer-  
be cæteras destruat, si suadendo non persuadeat, ne  
que uim ullam adhibeat, & conuicjū temperet, pe-  
tulantius

Laude tra-  
hendi sunt  
hoies ad re-  
ligionem.

tulantius hac de re contendentem exilio, aut seruit ute  
mulctant. Hæc Vtopus instituit nō respectu pacis mo  
do quā assiduo certamine, atq; in expiabili odio fundi  
tus uidit euerti, sed q; arbitratus est, uti sic decerneref,  
ipsius etiam religionis interesse, de qua nihil est ausus  
temere definire, uelut incertū habens, an uariū ac mul  
tiplicem expertens cultum deus, aliud inspiret alij, certe  
ui ac minis exigere, & quod tu uerum credis idem omni  
bus uideatur, hoc uero & insolens & ineptum censuit,  
tum si maxime una uera sit, cæteræ omnes uanæ, facile  
tamen præuidit (modo cum ratione ac modestia res  
agatur) futurum deniq;: ut ipsa per se ueri uis emergat  
aliquando atq; emineat. sin armis & tumultu certetur,  
ut sint pessimi quiq; maxime peruicaces, optimam ac  
sanctissimam religionem ob uanissimas inter se super  
stitiones, ut segetes inter spinas ac frutices obrutum iri.  
Itaq; hanc totam rem in medio posuit, & quid creden  
dum putaret liberum cuiq; reliquit. Nisi quod sancte  
ac seuere uetuit, ne quis usq; adeo ab humanæ naturæ  
dignitate degeneret, ut animas quoq; interire cum cor  
pore, aut mundū temere ferri, sublata prouidentia pu  
tet, atq; ideo post hanc uitā supplicia uitij s decreta, uir  
tuti præmia cōstituta credūt. cōtra sentientem, ne in ho  
minum quidem ducunt numero, ut qui sublimem ani  
mæ suæ naturam, ad pecuini corpusculi uilitatem de  
icerit, tantum abest ut inter ciues ponant, quorum  
instituta

instituta, morescq; (si per metum liceat) omnes, floccifa  
 eturus sit. Cui enim dubium esse potest, quin is publi-  
 cas patriæ leges, aut arte clām eludere, aut uiū nitatur in  
 fringere, dum suæ priuatim cupiditati seruiat, cui nul-  
 lus ultra leges metus, nihil ultra corpus spei superest  
 amplius. Quamobrem sic animato nullus communica-  
 tur honos, nullus magistratus committitur, nulli publi-  
 comunerī præficitur. Ita passim uelut inertis, ac iacen-  
 tis naturæ despicitur. Cæterum nullo afficiūt supplicio,  
 quod p̄suasum habeant, nulli hoc in manu esse, ut quic-  
 quid libet, sentiat. sed nec minis adigunt ullis, animum  
 ut dissimulet suum, nec fucos admittunt, & mendacia,  
 quæ uelut proxima fraudi, mirum quām habēt inuisa.  
 Verum ne pro sua disputet sententia prohibent, atque  
 id duntaxat apud uulgas. Nam alioquin apud sacer-  
 dotes, grauesq; uiros seorsum, non sinunt modo, sed  
 hortantur quoque, confisi fore, ut ea tandem uesania  
 rationi cedat. Sunt & aliij, nec hij sanè pauci, nempe im-  
 prohibiti, ueluti neque ratione penitus pro se carentes,  
 neque mali, qui uitio longe diuerso, brutorum quoque  
 æternas esse animas opinantur. At nostris tamen neq;  
 dignitate comparandas, neq; ad æquam natas felicita-  
 tem, hominum enim cuncti ferè tam immensam fore  
 beatitudinem pro certo atq; explorato habent, ut mor-  
 bum lamententur omnium, mortem uero nullius, nisi  
 quē uident anxie è uita, inuitumq; diuelli. Nempe hoc

Mira opti-  
nio de ani-  
mab⁹ bru-  
torum,

t pro

pro pessimo habet augurio, tanquam anima exspes ac male conscientia, occulto quopiam imminentis poenae praesagio, reformidet exitum. Ad hoc haudquaquam gratum deo, eius putat aduentum fore. qui quum sit accersitus, non accurrit libens, sed inuitus ac detrectans pertrahitur. Hoc igitur mortis genus, qui intuentur horrent, itaque defunctos, moesti ac silentes effterunt, precatique propitiū manibus deum, ut eorum clementer infirmitatibus ignoscatur, terra cadaver obruunt. Contra, quicunque alacriter ac pleni bona spe decesserint, hos nemo luget, sed cantu prosequuti funus, animas deo, magno commendantes affectu, corpora tandem reuerenter magis quam dolenter concremant, columnamque loco insculptis defuncti titulis erigunt, domum reuersi, mores, actaque eius recensent, nec ulla uitæ pars, aut saepius, aut libertius, quam laetus tractatur interitus. Hanc probitatis memoriam, & uiuis efficacissima rentur incitamenta uirtutum, & gratissimum defunctis cultum putant, quos interesse quoque de se sermonibus opinantur, quam (ut est hebes mortalium acies) inuisibiles. Nam neque felicium sorti conueniat, libertate carere migrandi quo uelint, & ingratorum fuerit prorsus abieccisse de syderium amicos inuisendi suos, quibus eos dum uiuent, mutuus amor, charitasque deuinixerat, quamquam bonis uiris, ut cætera bona, auctam post fata potius, quam imminutam coniectant. Mortuos ergo uersari  
inter

inter uiuentes credunt, dictorum factorumq; spectatores, eóq; res agendas fidentius aggrediūtur, talibus uelut freti præsidib; & ab inhonesto secreto deterret eos, credita maiorum præsentia. Auguria, cæterasq; superstitionis uanæ diuinationes, quarum apud alias gentes magna est obseruatio, negligunt prorsus, atque irrident. Miracula uero, quæ nullo naturæ proueniunt ad miniculo, uelut præsentis opera, testesq; numinis uenerantur. qualia & ibi frequenter extare ferunt, & magnis interdum ac dubijs in rebus publica supplicatione, certa cum fiducia procurant, impetrantque. Gratum deo cultum putant naturæ contemplationem, laudemque ab ea. sunt tamen, hiq; haud sanè pauci, qui religione ducti, literas negligunt, nulli rerum cognitioni student, neque ocio prorsus ulli uacant, negocij tantum, bonisq; in cæteris officijs statuūt, futuram post fata felicitatem promereri. Itaq; alij ægrotis inserviunt, alij uias reficiunt, purgant fossas, pontes reparant, cespites, arenam, lapides effodiunt, arbores demolunt ac dissecant, bigisque ligna, fruges, item alia in urbes important, nec in publicum modo, sed priuatim quoque ministros, ac plus quam seruos agunt. Nam quicquid usquam operis est asperum, difficile, sordidum, à quo plerosque labor, fastidium, desperatio deterreat, hoc illi sibi totum libentes, hilaresque desumunt, cæteris ocium procurant, ipsi perpetuo in opere ac labore uerantur,

Vita actiua.

santur, nec imputant tamen, nec aliorum fugillant uitā, nec suam efferunt. Hj quo magis sese seruos exhibit, eo maiore apud omnes in honore sunt. Eorum tamen hæreses duæ sunt, Altera cælibum, qui nō Venere modo in totum abstinent, sed carnium esu quoq; quidam animalium etiam omnium, reiectisq; penitus tāquām noxijs uitæ præsentis uoluptatibus, futuræ dntaxat, per uigilias ac sudores inhiāt, eius propediem obtinen dæ spe.alacres interim, uegetiç. Altera laboris haud minus appetens, coniugium præfert, ut cuius nec aspernatur solatium, & opus, naturæ debere se, & patriæ liberos putant. Nullam uoluptatem refugiūt, quæ nihil eos ab labore demoretur. Carnes quadrupedū uel eo nomine diligunt, quod talī cibo se ualidiores ad opus quodq; censeant. Hos Vtopiani prudentiores, at illos sanctiores reputant. Quos quod cælibatū anteferunt matrimonio, asperamq; uitam placidæ anteponunt, si rationibus niterentur irriderent, nunc uero quum se fatentur religione duci suspiciunt ac reuerentur. Nihil enim sollicitius obseruant, quām ne temere quicquām ulla de religione pronuncient. Huiusmodi ergo sunt, quos illi peculiari nomine sua lingua Buthrescas uocant, quod uerbum latine religiosos licet interpretari. Sacerdotes habent eximia sanctitate, eóq; admodum paucos, neq; enim plus quām tredecim in singulis habent urbibus pari templorum numero, nisi quum itur

ad

ad bellum. tunc enim septem ex illis cum exercitu profectis totidem sufficiuntur interim, sed illi reuersi, suū quisque locum recuperat, qui supersunt, huius quoad decedentibus illis ordine succedant, comites interea sunt Pontificis. Nam unus reliquis præficitur. Eliguntur a populo, id est cæterorum ritu magistratum, occultis, ad studia uitanda, suffragijs, electi a suo collegio consecratur. Huius rebus diuinis præsunt, religiones curant, ac morum ueluti censores sunt, magnisque pudori ducit ab his quemquam tanquam uitæ parum probatae accersi, compellariue. Cæterum ut hortari atque admonere illorum est, ita coercere atque in facinorosos animaduertere principis, atque aliorum est magistratum, nisi quod sacris interdicunt, quos improbe malos comperiunt. nec ullum ferè supplicium est quod horreant magis. Nam & summa percelluntur infamia, & occulto religionis metu lacerantur, ne corporibus quidem diu futuris in tu-  
to. quippe non properam pœnitentiam sacerdotibus approbent, comprehensi impietatis pœnam Senatu per soluunt, pueritia iuuentusque ab illis eruditur, nec prior literarū cura, quam morum ac uirtutis habetur, namque summam adhibet industriam, ut bonas protenus opiniones, & conseruandæ ipsorum reipublicæ utiles, teneatis adhuc, & sequacibus puerorum animis instillent, quæ ubi pueris penitus infederint, uiros per totam uitam comitantur, magna[m]que ad tuendum publicæ rei

Fœminæ  
sacerdotes

statum (qui non nisi uitij dilabitur, quæ ex peruersis nascuntur opinionibus) afferunt utilitatem. Sacerdotibus (ni fœminæ sint. nam neque ille sexus excluditur, sed rarius, & non nisi uidua, natuque grandis eligitur) uxores sunt popularium selectissimæ. Neq; enim ulli apud Vtopienses magistratui maior habetur honos usq; adeo, ut si quid etiam flagitijs admiserint, nulli publico iudicio subsint, deo tantum, ac sibi relinquuntur. Neque enim fas putant illum, quantumuis scelestum, mortali manu cōtingere, qui Deo tam singulari modo uelut anathema dedicatus est. Qui mos illis facilior est obseruatu, quod sacerdotes & tam pauci, & tanta cum cura deliguntur. Nam neque temere accidit, ut qui ex bonis optimus ad tantam dignitatem, solius respectu uirtutis euehitur, in corruptelam & uitium degeneret, & si iam maxime contingeret, ut est mortalium natura mutabilis, tamen qua sunt paucitate, nec ulla præter honorem potestate prædicti, ad publicam certe perniciem nihil magni ab his momenti pertimescendum sit. Quos ideo tam raros atq; infrequentes habent, ne dignitas ordinis, quem nunc tanta ueneratione prosequuntur, communicato cum multis honore uilesceret, præser-tim quum difficile putent frequentes inuenire tam bonus, ut ei sint dignitati pares, ad quam gerendam non sufficit mediocribus esse uirtutibus. Nec eorum aestima-tio apud suos magis, quam apud exteris etiam gen-

Excōmuni-catio.

At apud nos quāta turba est.

tes

tes habetur, quod inde facile patet, unde etiam natum  
puto. Nempe decernentibus prælio copijs, seorsum illi  
non admodum procul confidunt in genibus, sacras in-  
duti uestes, tensis ad cælum palmis, primum omnium  
pacem, proxime, suis uictoriā, sed neutri cruentam par-  
ti comprecantur, uincēntibus suis decurrent in aciem,  
sæuientesq; in profligatos inhibent, uidisse tantū atq;  
appellasse præsentes ad uitam satis, diffluentium con-  
tactus uestium, reliquas quoq; fortunas ab omni bel-  
lorum iniuria defendit. Qua ex re apud om̄es undiq;  
gentes, tanta illis ueneratio, tantum ueræ maiestatis ac-  
cessit, ut sæpe ab hostibus non minus salutis ad ciues  
reportarint, quam ab ipsis ad hostes attulissent. Siqui-  
dem aliquando constat, inclinata suorum acie, despera-  
tis rebus, quum ipsis in fugam uerterentur, hostes in cæ-  
dem ac prædam ruerent, interuentu sacerdotum inter-  
pellatam stragem, ac diremptis inuicem copijs, pacem  
æquis conditionibus esse compositam atque constitu-  
tam. Neq; enim unquam fuit ulla gens tam fera, crude-  
lis ac barbara, apud quos ipsorum corpus non sacro-  
sanctum, atq; inuiolabile sit habitum. festos celebrant Festos die  
initialem atque ultimum cuiusq; mensis diem, & anni rum apud  
item, quem in menses partiuntur, circuitu lunæ finitos, Vtopiæles  
ut solis ambitus annum circinat. Primos quoque dies  
Cynemernos, postremos ipsorum lingua Trapemer  
nos appellant, quæ uocabula perinde sonant, ac si pri-

O sacerdo-  
tes nostris  
longe san-  
ctiores.

Templa cu mifesti & finifesti uocentur. Delubra uisuntur egregia, iusmodi. utpote nō operosa modo, sed quod erat in tanta ipso rum paucitate necessarium, immensi etiam populi capacia. Sunt tamen omnia subobscura, nec id aedificandi inscitia factum, sed consilio sacerdotum ferunt, quod immodicam lucem cogitationes dispergere, partiore ac uelut dubia colligi animos, & intendi religionem putant. quæ quoniam non est ibi apud omnes ea dem, & uniuersæ tamen eius formæ quanquam uariæ ac multiplices, in diuinæ naturæ cultum uelut in unum finem diuersa uia commigrant, idcirco nihil in templis uisiturn auditur, quod non quadrare ad cunctas in commune uideatur. Si quod proprium sit cuiusquam sectæ sacrum, id intra domesticos quisque parietes curat, publica tali peragunt ordine, qui nulli prorsus ex priuatis deroget. Itaque nulla deorum effigies in templo cōspicitur, quo liberum cuiq; sit, qua forma deum uelit e summa religione concipere. nullū peculiare dei nomen inuocant, sed Mythræ duntaxat, quo uocabulo cuncti in unā diuinæ maiestatis naturam, quæcunq; sit illa, conspirant, nullæ concipiuntur preces, quas non pronunciare quiuis inoffensa sua secta possit. Ad tem plu m ergo in finifestis diebus uespere conueniunt, ad huc ieuni, acturi deo de anno, mēsēue cuius id festum postremus dies est, prospere acto gratias, postero die, nam is primifestus est, mane ad templa confluitur, ut in sequentis

in sequentis anni, mensis ue, quem ab illo auspiciatur fe/  
sto sint, faustum felice inqp successum compreceptur. At  
in finifestis antea quam templum petut uxores, domi  
ad uirorum pedes, liberi ad parentum prouoluti, pec-  
casse fatentur sese aut admisso aliquo, aut officio indili/  
genter obito, uenia inqp errati precatur, ita si qua se nu/  
becula domesticæ simultatis offuderat, tali satisfactio/  
ne discutitur, uti animo puro ac sereno sacrificijs inter/  
sint, nam interesse turbido, religio est. eocp odij, iraeue  
in quenqp sibi conscijs, nisi reconciliati ac defecatis affe/  
ctibus ad sacrificia non ingerunt sese, uindictæ celeris,  
magnæ inqp metu. Eò quum ueniunt, uiri in dextram de/  
lubri partem, fœminæ seorsum in sinistram commeat.  
tum ita se collocant, ut cuiuscp domus masculi ante pa/  
trem familias confideant, fœminarum materfamilias  
agmen claudat. Ita prospicitur, uti omnes omnium ge/  
stus foris ab his obserueretur, quorum autoritate domi  
ac disciplina reguntur, quin hoc quoqp sedulo cauent,  
uti iunior ibi passim cū seniore copuletur, ne pueri pue/  
ris crediti, id temporis puerilibus transigant ineptijs, in  
quo deberent maxime religiosum erga superos metu,  
maximum, ac propè unicum uirtutibus incitamentum  
cōcipere. Nullum animal in sacrificijs mactant, nec san/  
guine rentur, ac cædibus diuinam gaudere clemētiam,  
qui uitam animantibus ideo est elargitus, ut uiuerent.  
Thus incendunt & alia item odoramenta, ad hæc ce/  
reos

Confessio  
Vtopiæliū.

At apud  
nos quod sunt  
inquinatis  
fimi, aris  
proximi esse  
cōtendūt.

reos numerosos præferunt, non quod hæc nesciant nī hil ad diuinam conferre naturam, quippe ut nec ipsas hominum preces, sed & innoxium colendi genus pla-  
cet, & hijs odoribus luminibusqz, ac cæteris etiam ceri-  
monijs nescio quomodo sese sentiunt homines erigi,  
atque in dei cultum animo alacriore consurgere. Can-  
didis in templo uestibus amicitur populus, sacerdos  
uersicolores induitur, & opere & forma mirabiles ma-  
teria non perinde preciosa. neque enim auro intextæ,  
aut rarís coagmentatae lapidibus, sed diuersis auium  
plumis, tam scite, tantóqz artificio laboratae sunt, ut ope-  
ris precium nullius æstimatio materiæ fuerit æquatu-  
ra. Ad hoc in illis uoluerum pennis, plumisqz, & certis  
earū ordinibus, quibus in sacerdotis ueste discriminantur,  
arcana quædam dicunt cotineri mysteria, quorum  
interpretatione cognita (quæ per sacrificios diligenter  
traditur) diuinorum in se beneficiorum, suæqz uicissim  
pietatis in deum, ac mutui quoqz inter se officij admo-  
neantur. Quum primum sacerdos ita ornatus ex ady-  
to sese offert, cuncti protinus in terram uenerabundi  
procumbunt, tam alto ab omni parte silentio, ut ipsa  
rei facies, terrorem quedam uelut præsentis cuiuspiam  
numinis incutiat. Tellure paulum morati, dato ab sa-  
cerdote signo, erigunt sese tum laudes deo canūt, quas  
musicis instrumentis interstingunt, alijs magna ex par-  
te formis, quam nostro uisuntur orbe. Ex illis plei-  
raqz

raç sicuti quæ nobis in usu sunt, multum suavitate uincunt. ita quædam nostris ne conferenda quidem sint. Verum una in re haud dubie longo nos interuallo præcellūt. quod omnis eorum musica, siue quæ personatur organis, siue quam uoce modulantur humana, ita naturales affectus imitatur & exprimit, ita sonus accommodatur ad rem, seu deprecantis oratio sit, seu lata, placabilis, turbida, lugubris, irata, ita rei sensum quandam melodiarum forma repræsentat, ut animos auditorum mirum in modum afficiat, penetret, incendat. solēnes ad ultimum conceptis uerbis preces, sacerdos pariter populusç percensent, ita compositas, ut quæ simul cuncti recitant, priuatim quisque ad semet referat. In his deum & creationis, & gubernationis, & cæterorum præterea bonorum omnium, quilibet recognoscit auctore, tot ob recepta beneficia gratias agit. nominatim uero quod deo propitio in eam rem publicā inciderit quæ sit felicissima, eam religionem sortitus sit, quā speret esse uerissimam. Qua in re, si quid erret, aut si quid alterutra melius, & quod deus magis approbet, orare se eius bonitas efficiat, hoc ut ipse cognoscat. paratum enim sequi se quaqua uersus ab eo ducatur, si & hæc Reip. forma sit optima, & sua religio rectissima, tū uti & ipsi cōstantiā tribuat, & cæteros mortales omnes ad eadē instituta uiuēdi, in eandē deo opinione perducat, nisi inscrutabile eius uoluntatē etiā sit, quod in hac religio/

religionum uarietate delectet. Deniq; precatur, ut facile defunctum exitu ad se recipiat, quam cito, seroue præ finire quidem nō audere se. Quanquam quod inoffensa eius maiestate fiat, multo magis ipsi futurum cordis sit, difficillima morte obita, ad deum peruadere, quam ab eo diutius, psperrimo uitæ cursu distineri. Hac prece dicta rursus in terrā proni, pauloq; post erecti, discendunt pransum, & quod superest diei, ludis & exercitio militaris disciplinæ percurrūt. Descripsi uobis quam potui uerissime eius formam Reip. quā ego certe non optimam tantum, sed solam etiam censeo, quæ sibi suo iure possit Reip. uendicare uocabulum. Siquidem alibi, de publico loquentes ubiq; commodo, priuatum curant. Hic ubi nihil priuati est, serio publicum negotiū agunt, certe utrobiq; merito. Nam alibi, quotus quisq; est qui nesciat, nisi quid seorsum prospiciat sibi, quantumvis florente Rep. semet tamē fame periturū, eocq; necessitas urget, ut sui potius, q; populi id est aliorū habendā sibi rationē censeat. Cōtra hic, ubi omnia omniū sunt nemo dubitat (curef modo, ut plena sint horrea publica) nihil quicq; priuati cuiquam defuturū. Neq; enim maligna rerum distributio est, neq; inops, neque mendicus ibi quisquam. & quum nemo quicquam habeat, omnes tamen diuites sunt. Nam quid ditius esse potest, quam adempta prorsus omni solicitudine, lœto ac tranquillo animo uiuere: non de suo uictu trepidum,

dum, non uxoris querula flagitatione uexatum, non paupertatem filio metuētem, nō de filiæ dote anxiū, sed de suo, suoruīq; omnium, uxorū, filiorū, nepotū, pronepotū, abnepotū, & quām longam posterūrū seriem suorū, generosū præsumunt, uiictu esse, ac felicitatē securum. Quid quod nihil minus his propicitur, qui nūc impotes olim laborauerunt, quām his qui nūc laborant. Hic aliquis uelim cum hac æquitate audeat aliarū iustitiam gentium comparare, apud quas dispeream, si ullum prorsus comperio, iustitiae, æquitatisq; uestigium. Nam quæ hæc iustitia est, ut nobilis quispiam, aut aurifex, aut scenerator, aut deniq; aliis quisquam eorum, qui aut omnino nihil agunt, aut id quod agunt, eius generis est, ut nō sit Reip. magnopere necessarium, lautam ac splendida uitam, uel ex ocio, uel superuacuo negotio consequatur, quum interim mediastinus, auriga, faber, agricola, tanto, tamq; assiduo labore, quām uix iumenta sustineant, tam necessario, ut sine eo ne unum quidem annum possit ulla durare Resp. uiictum tamen adeo malignum parant, uitam adeo miseram ducūt, ut longe potior uideri possit conditio iumentorum, quibus nec tam perpetuus labbor, nec uiictus multo deterior est, & ipsis etiā suauior, nec ullus interim de futuro timor. At hos & labor steriles, atq; infructuosus, in præsenti stimulat, & in opis recordatio senectutis occidit, quippe quibus parcior est

diurna merces, quām ut eidem possit diei sufficere, tan-  
tum abest ut excrescat, & super sit aliquid quod quoti-  
die queat in senectutis usum reponi. An non hæc ini-  
qua est & ingrata res publica, quæ generosis ut uocant  
& aurificibus, & id genus reliquis, aut ociosis, aut tan-  
tum adulatoribus, & inanum uoluptatum artificibus,  
tanta munera prodigit. agricolis cōtra, carbonarijs, me-  
diastinis, aurigis & fabris, sine quibus nulla omnino  
Resp. esset, nihil benigne prospicit. Sed eorum floren-  
tis ætatis abusa laboribus, annis tādem ac morbo gra-  
ues, omnium rerum indigos, tot uigilarum immemor,  
tot ac tantorum oblita beneficiorum miserrima morte  
repensat ingratissima. Quid quod ex diurno pauperū  
demenso diuites cotidie aliquid, nō modo priuata frau-  
de, sed publicis etiam legibus abradunt, ita quod ante  
uidebatur iniustum, optime de Rep. meritissimam  
referre gratiam, hoc isti deprauatum etiā fecerunt, tum  
prouulgata lege iustitiam. Itaq; omnes has quæ hodie  
usquām florent Resp. animo intuenti ac uersanti mi-  
hi, nihil sic me amet deus, occurrit aliud quām quædā

Hæc anno conspiratio diuitum, de suis commodis Reip. nomine;  
ta lector. titulōq; tractantium. comminiscuntur cōs & excogitant  
omnes modos atque artes quibus, quæ malis artibus  
ipsi congesserunt, ea primum ut absque perdendi me-  
tu retineant, post hoc ut pauperum omnium opera, oe-  
laboribus quām minimo sibi redimant, eisque abutan-  
tur.

tur. Hæc machinamenta, ubi semel diuites publico nomine hoc est etiam pauperum, decreuerunt obseruari, iam leges fiunt. At homines deterrimi cum inexplebili cupiditate, quæ fuerant omnibus suffectura, ea omnia inter se partierint, quām longe tamen ab Vtopiensium Reip. felicitate absunt: è qua cum ipso usu sublata penitus omni auiditate pecuniæ, quanta moles molestiarum recisa, quanta scelerum seges radicitus euulsa est: Quis enim nescit fraudes, furtæ, rapinas, rixas, tumultus, iurgia, seditiones, cædes, proditiones, ueneficia, cotidianis vindicata potius quām refrenata supplicijs, interempta pecunia commori, ad hæc metum sollicitus, dinem, curas, labores, uigilias, eodem momēto quo pecunia perituras, quin paupertas ipsa, quæ sola pecunij uisa est in digere, pecunia prorsus undicè sublata, protinus etiam ipsa decresceret. id quo fiat illustrius, reuolue in animo tecum annū aliquem sterilē atq; infœcundū, in quo multa hominū millia, famæ abstulerit, contendo planè in fine illius penuria excussis diuitiū horreis, tantum frugum potuisse reperiri, quantū si fuisset inter eos distributum, quos macies actabes absumpsit illam cæli, soliçè parcitatem, nemo omnino sensisset, tam facile uiictus parari posset, nisi beata illa pecunia, quæ præclare scilicet inuēta est, ut aditus ad uiictum per eam patesceret, sola nobis ad uiictum uiam intercluderet. Sentiant ista, non dubito, etiam diuites, nec ignorat quan-

to potior esset illa conditio nulla re necessaria carere,  
quam multis abundare superfluis, tam numerosis eri-  
pi malis, quam magnis obsideri diuitijs. Neque mihi  
quidem dubitare subit, quin uel sui cuiuscq; commodi  
ratio, uel CHRISTI seruatoris autoritas (qui neq; pro-  
tanta sapientia potuit ignorare quid optimum esset,  
neq; qua erat bonitate id consulere, quod non optimū  
sciret) totum orbem facile in huius Reip. leges iamdu-  
Mire dictūdum traxisset, nisi una tātum belua, omnium princeps  
parensq; pestium superbia, reluctaretur. hæc non suis  
cōmodis prosperitatem, sed ex alienis metitur incom-  
modis. hæc ne Dea quidē fieri uellet, nullis relictis mi-  
seris quibus imperare atque insultare possit. Quorum  
miserijs præfulgeat ipsius comparata felicitas, quorum  
suis explicatis opibus, angat atque incendat inopiam.  
Hæc auerni serpens mortalium pererrans pectora, ne  
meliorem uitæ capeant uiam, uelut remora retrahit  
ac remoratur. quæ quoniam pressius hominibus infi-  
xia est, q̄ ut facile possit euelli, hanc Reip. formā, quam  
omnibus libenter optarim, Vtopiensibus saltem conti-  
gisse gaudeo, qui ea uitæ sunt instituta sequuti, quibus  
Reip. fundamenta iecerunt non modo felicissime, ue-  
rumetiam quātum humana præfigiri coniectura con-  
tigit, æternum duratura. Extirpatis enim domi cum cæ-  
teris uitijs ambitionis, & factionum radicibus, nihil im-  
pendet periculi, ne doméstico dissidio laboretur, quæ  
una

una multarum urbium egregie munitas opes pessun-  
dedit. At salua domi cōcordia, & salubribus institutis,  
non omnium finitimarum inuidia principum (quæ sāe-  
pius id iam olim semper reuerberata tentauit) concute-  
re illud imperium, aut commouere queat. Hæc ubi Ra-  
phael recensuit, quanquam haud pauca mihi succurre-  
bant, quæ in eius populi moribus, legibusq; perquam  
absurde videbātur instituta, non solum de belli geren-  
di ratione, & rebus diuinis, ac religione, alijsq; insuper  
eorum institutis, sed in eo quoque ipso maxime, quod  
maximum totius institutionis fundamentum est uita  
scilicet, uictuque communi, sine ullo pecuniae commer-  
cio, qua una re funditus euertitur omnis nobilitas, ma-  
gnificentia, splendor, maiestas, uera ut publica est opi-  
nio decora atq; ornamenta Reipub. tamen quoniam  
defessum narrando sciebam, neque mihi satis explora-  
tum erat, posset ne ferre, ut contra suam sententiam sen-  
tiretur, præsertim quod recordabar, eo nomine quos-  
dam ab illo reprehensos, quasi uerarentur, ne non satis  
putarentur sapere, nisi aliquid inuenirent, in quo uelli-  
care aliorum inuenta possent, idcirco & illorum institu-  
tione, & ipsius oratione laudata, manu apprehendens  
intro coenatum duco, præfatus tamen aliud nobis tem-  
pus, ijsdem de rebus altius cogitandi, atque uberioris  
cum eo conferendi fore. Quod utinam aliquando con-  
tingeret interea quemadmodum haud possum omni-

u ; bus

bus assentiri quæ dicta sunt, alioqui ab homine citra  
controversiam eruditissimo simul & rerum humanarū  
peritissimo, ita facile confiteor permulta esse in Vtopi-  
ensium republiça, quæ in nostris ciuitatibus optarim  
uerius, quam sperarim.

## SECVNDI LIBRI FINIS.

SERMONIS POMERIDIANI RAPHAËLIS HY-  
THLODAEI, DE LEGIBVS ET INSTITU-  
TIS VTOPIENSIS INSVLAE PAVCIS  
ADHVC COGNITAE, PER CLA-  
RISSIMVM ET ERVDITISSI-  
MVM VIRVM D. THOMAM,  
MORVM CIVEM ET VI-  
CECOMITEM LON-  
DINENSEM,  
FINIS.



# HIERONYMVS

BVSLIDIVS THOMAE  
MORO S. D.



ON SAT FVIT ORNATISSIME  
More, olim omnem curam, operam,  
studium, intulisse in rem & cōmodū  
singulorū, nisi uel ea (quæ tua pietas  
& liberalitas est) conferres in uniuers-  
sum, ratus hoc(tuū qualemque foret)  
beneficium, eo maiorem hinc mereri fauorem, uenari  
gratiam, aucupari gloriam, quāto illud & latius propa-  
gatum, & in plures distributum, pluribus esset profatu-  
rum. Quod & si aliâs semper præstare contenderis, ta-  
men id maxime es nuper mira felicitate adsecutus, scili-  
cet pomeridiano illo sermone abs te in literas relato.  
Quem de recte & bene cōstituta (ab omnibus expeten-  
da) Vtopiēsium Rep. ædidiſti. In cuius pulcherrimi in-  
stituti felici descriptiōe nihil est, in quo uel summa eru-  
ditio, uel absoluta rerum humanarū peritia desyderari  
possit. Quando ea quidē ambo in illo tanta paritate &  
æquabili congressu cōcurrunt, ut neutro alteri herbam  
porrigente, utruncque æquo Marte de gloria contendat.  
Tam siquidē multisaria polles doctrina, Rursum tam  
multa, eaque certa rerū peritia, ut prorsus expertus affir-

## H I E R O N Y M I B V S L I D I I

mes quicquid scripseris, doctissime sribas, quicquid  
affirmandum destinaueris. Mira profecto, raraq; felici-  
tas, ac planè eo rarior, quo magis ipsa sese inuidens plu-  
rimis, nō præbet nisi rariss. Maxime ihs, qui sicut cando-  
re uelint, ita eruditione sciant, fide queāt, autoritate pos-  
sint, tam pie, recte, prouide, in cōmune cōsulere, sicut tu  
iam facis probe, qui quod nō solum tibi, uerū etiam to-  
ti te gentium orbi existimas, operæ preciū duxeris, hoc  
tuo pulcherrimo merito, uel totū ipsum orbem deme-  
reris, qd' præstare alia ratione neq; rectius, necq; melius  
potuisses, q; ipsiis mortalibus ratione pollutibus, eam  
Reip. ideam, eam morū formulam, absolutissimumq;  
simulacrum præscribere, quo nullo unq; in orbe uisum  
sit, uel salubrius institutū, uel magis absolutū, uel quod  
magis expetendum uideatur, ut pote multo quidē præ-  
stante, atq; longo post se interuallo relinquēte, tot cele-  
bratissimas, tantopere decantatas Lacedæmoniorum,  
Atheniēsium, Romanorū, respuplicas. Quæ si ihsdem  
essent auspicij auspicatae, ihsdē (quibus hæc tua Resp.)  
institutis, legibus, decretis, moribus, moderatæ. Profes-  
cto hæ nōdum labefactatae & solo æquatæ. Iam proh  
dolor citra spem omnem instauratioñis extinctæ iace-  
rent. Sed cōtra, incolumes adhuc, beatæ, felices, fortuna-  
tissime agerent. Interim rerum dominæ, suū late impe-  
rium terra mariq; sortitæ. Quarū quidem rerū publi-  
carum, tu miserandā miseratus sortē, ne aliæ itidē (quæ  
hodie

hodie rerum potitæ summū tenent) parem sustinerent uicem, prospicete uoluisti, scilicet hac tua absolutissima republika, quæ nō tam in condendis legibus, c̄q; uel probatissimis magistratibus formandis, maxime elaborauit. Nec id quidē ab re, quādo alioqui sine illis omnes (uel optimæ) leges, si Platoni credimus, mortuæ censerentur, præsertim ad quorum magistratuū simulacru, probitatis specimen, exemplar morū, iustitiæ imaginē, totus status, & rectus tenor cuiusuis absolutæ Reip. sit effingendus. In quo in primis concurrant, prudentia in optimatibus, fortitudo in militibus, temperantia in singulis, iustitia in omnibus, quibus quū tua (quā tantope re celebras) respublika sit tam pulcherrime, ut liquet, cōposita. Non mirū sī hinc ueniat non solū multis timenta, sed & cunctis gentibus ueneranda, simul omnibus sæculis prædicanda. Idc̄q; eo magis, quod in ea omnis proprietatis cōtentione sublata, nulli sit quippiam proprijs. Cæterum in rem ipsam cōmunem, communia sunt omnibus omnia, Adeo ut omnis res, quævis actio seu publica, seu priuata, non ad multorū cupiditatem, non ad paucorū libidinem spectet, sed ad unam iustitiam, æquabilitatem, cōunionem sustinendam (quantula- cunq; sit) tota referat. Quo illa integre relata, omnis matreries, fax & fomes, ambitus, luxus, inuidentiæ, iniuriæ faceſſat necesse est. In quæ nonnunq; aut priuata rerū possessio, aut ardens habendi sitis, omniumq; miserri- ma rerum

## HIERONYMI BVS LIDII

ma rerum ambitio, mortales (uel reluctates) protrudit,  
maximo suo, idq; incomparabili malo. Quando hinc  
sæpen numero dissensiones animorū, motus armorum,  
& bella plusq; ciuilia derepente orientur. Quibus non  
solum florentissimus status beatissimaru. Rerū. fun-  
ditus pessundatur, uerum illarum olim parta gloria,  
acti triumphi, clara trophea, totiesq; opima spolia, de-  
uictis hostibus relata, penitus obliteratedantur. Quod si in  
his hæc nostra pagina minorē forte, ac uelim, fidem fe-  
cerit, certe in promptu aderunt testes ad quos te relege,  
locupletissimi, uidelicet tot & tātæ olim uastatae urbes,  
dirutæ ciuitates, pstratae Resp. incensi & cōsumpti uici,  
quoru. uti hodie uix ullæ tātæ calamitatis reliquæ, aut  
uestigia uisuntur, ita nec nomina illorū ulla quantūuis  
uetus, & longe deducta historia, sat probe tenet. Quas  
quidem insigneis clades, uastationes, euersiones, cæte-  
rasq; belli calamitates, nostræ (si quæ sint) Resp. facile  
euaserint, modo ad unam Vtopiæsium reipublicæ nor-  
mam sese adamussim componentes, ab ea ne transuer-  
sum quidem, ut aiunt, unguē recedant. Quod sic demū  
præstantes, tandem re ipsa cumulatissime agnoscant.  
quantū hoc tuum in se collatum beneficium profuerit,  
maxime quo accedente, dīdicerint, suam Remp. saluā  
incolumē, triumphante seruare. Proinde tātum tibi suo  
præsentissimo seruatori debituræ, quantū is haud iniu-  
ria promeretur, qui nō tantū aliquem è republica ciuē,  
sed

A D T H O. M O R V M E P I S T I  
sed uel ipsam totā Rép. seruarit. Interea Vale, ac felici-  
ter perge nōnihil usq; meditari, agere, elaborare, quod  
in Remp. collatum, illi perpetuitatem, tibi immortalita-  
tem addat. Vale doctissime, & idē humanissime Mo-  
re, tuæ Britāniæ, ac nostri huius orbis decus. Ex ædibus  
nostris Mechliniæ. 

---

M. D. XVI.

GERARDVS NOVIOMAGVS

DE VTOPIA.

Dulcia lector amas: sunt hic dulcissima quæcꝝ.

Vtile si quæris, nil legis utilius.

Siue utruncꝝ uoles, utroq; hæc insula abundat,

Quo lingua ornes, quo doceas animum.

Hic fontes aperit, recti prauicꝝ disertus.

Morus, Londini gloria prima sui.

CORNELIVS GRAPHEVS AD LECTOREM.

Vis noua monstra, nouo dudum nunc orbe reperto:

Viuendi uaria uis ratione modos:

Vis qui uirtutum fontes: uis unde malorum

Principia: & quantum rebus inane latet:

Hæc legere, quæ uario Morus dedit ille colore,

Morus Londinæ nobilitatis honos.

BASILEAE APVD IOANNEM FROBE

NIVM MENSE MARTIO.

AN.

M.

D.

XVIII.

ΤΙΝΕΩΘΕ ΦΡΟΝΙΜΟΙ ΩΣ Η ΘΦΑΣ,



Prudens simplicitas amorē recti.


Δικέρασμοι ως το περισσεψαν.

IN INCLYTA GERMANIAE BASILEA.

M. D. XVIII.

EPIGRAM-  
MATA CLA-  
RISSIMI DI-  
SERTISSIMI-  
QVE VIRI  
THOMAE  
MORI BRI-

TANNI, PLERAQVE E GRAE  
CIS VERSA.



# BEATVS RHE-

NANVS BILIBALDO PIRCHEIMERO,  
 MAXIMILIANI CAESARIS à CON  
 SILIO, ET SENATORI NV-  
 RENBERGENSI S. D.

**B**ELLE prorsus conuenire mihi uisum fuit,  
 clarissime Bilibalde, si THOMAE MORI  
 illius Britāniæ decoris Epigrammata, quæ  
 nuper ERASMVS noster Roterodamus  
 ad me misit, tibi nominatim inscriberem. Siquidē mul-  
 tis adeo rebus similes inter uos estis. Vtercę iurisperi-  
 tus, utercę cum Romane, tum Græce doctus, Vtercę  
 non in publicis modo suæ ciuitatis functionibus uer-  
 sans, sed & ob singularem negotiorum explicandorum  
 dexteritatē, & in dandis cōsilijs prudentiam, suo quisq;  
 principi charissimus, ille potentissimo Britannorum re-  
 gi Henrico, tu sacratissimo Cæsari MAXIMILIANO.  
 nam quid de fortunis attinet cōmemorare, quas utriq;  
 possidetis amplissimas, ut uel hoc quicquid est orna-  
 menti, quod ex diuitijs accedere putatur, neutri desit,  
 quinpotius ædendis uirtutum maxime liberalitatis ex-  
 emplis abunde supersit materia. Sed & utriq; pater ob-  
 tigit non minus litéris, quam senatoria familia clarus.  
 Itaq; cū amicitiæ similitudo sit autor & æqualitas, hanc

Mori

MORI fœturam tibi nuncupare congruentissimū du-  
xi, ut quem multis alioqui nominibus amore prose-  
queris, de his etiam Epigrammatis impensius comple-  
ctaris, ames, magnificias. Huc adde quod nemini re-  
ctius mitti poterant hī lepidissimi lusus, quām ei, qui  
in hanc, quod aiunt, harenam aliquando sit descendē-  
re solitus. Nam is demum nouerit, quām sit egregia  
res doctum epigramma, quisquis ipse fuerit, suum nō  
nunquām ingenium in hoc exercitationis genere peri-  
clitatus. Sed enim, id quod te non latet, argutiam habe-  
at epigramma cum breuitate cōiunctam, sit festiuum,  
& acclamatiunculis, quæ επιφωνίαται Græci uocāt, sub-  
inde claudat. Quas sanè dotes omneis cumulatissime  
licet in his Moricis Epigrāmatibus reperire, præsertim  
in his quæ ipse genuit. nā in cæteris, quæ è Græcis uersa  
sunt, inuentionis laus priscis tribuitur. Quanquām hic  
quoq; non minus magni fieri meretur cōmode reddēs  
ex aliena lingua, quām scribens. labor certe uertentis sæ-  
pe maior. Siquidem qui scribit, liber est, & inuentioni li-  
bere uacat. at qui trāffert, ad aliud subinde respicere co-  
gitur, nimirum ad id quod uertendū desumpsit. quod  
quoties fit, multo plus sudat ingenium, quām cum suū  
aliquid progignit. Vtrobicq; sanè mirus est THOMAS  
MORVS. nam elegantissime cōponit, & felicissime uer-  
tit. Quām fluūt suauiter huius carmina? Quām est hic  
nihil coactum? Quām sunt omnia facilia? Nihil hic du-

rum, nihil scabrum, nihil tenebricosum. Candidus est, argutus, latinus. Porro gratissima quadam festiuitate sic omnia temperat, ut nihil unquam uiderim lepidius. Crediderim ego Musas quicquid usquam est iocoru, leporis, salium, in hunc cōtulisse. Quām lusit eleganter ad Sabinum alienos pro suis tollentem liberos. Quām false Lalum ridet, qui uideri Gallus tam ambitiose cui piebat. Sunt autem huius sales nequaquam mordaces, sed candidi, melliti, blandi, & quiduis potius quam amarulenti. Iocatur enim, sed ubiq̄ citra dentem ridet, sed citra cōtumeliam. Proinde quemadmodum Syrus Therentianus Demeam belle prædicens, Tu quantus quantus, inquit, nil nisi sapientia es, ita de M O R O diceret licebit, Quantus quantus est, nil nisi iocus est. Iam inter epigrammatographos Pontanum & Marullum in primis hodie miratur Italia. at dispeream, si non tantundē in hoc est naturæ utilitatis uero plus. nisi si quis inde magnopere se credit iuuari, dum suam Neæram celebrat Marullus, & in multis <sup>αντιτετρα</sup> Heraclitū quendam agens, aut dum Io. Pontanus ueterum nobis Epigrammatistarum nequitias refert, quibus nihil sit frigidius, & boni uiri lectione magis indignum, ne dicam Christiani. Scilicet usq̄ adeo uetus statem istis æmulari, cordi fuit, quā ne cōtaminarent, sic à sacris abstinerūt, ut à Græcis olim Póponius Lætus ne Romanæ linguae castimoniam uiolaret, homo superstitione Romanus.

Cæterū

Cæterū quemadmodū hilusus MORI ingeniu ostendunt, & insignem eruditionem, sic iudicium nimirum acre, quod de rebus habet, ex VTOPIA cumulatissime eluxerit. De qua paucis obiter meminero, quod hāc accuratissimus in literis BVDEV S, incóparabilis ille melioris eruditionis antistes, & ingens, atq; adeo unicum Galliarum decus, ita ut decebat, luculenta præfatione laudauit. Habet ea hoc genus decreta, qualia nec apud Platonem, nec apud Aristotelem, aut etiam Iustiniani uestri Pandectas sit reperire. Et docet minus forsan philosophice, quām illi, sed magis Christiane. Quanq; (audi per Musas bellam historiam) cum hic nuper in quodam grauium aliquot uirorum confessu, Vtopiæ mentio orta fuisset, & illam ego laudibus ueherem, negabat quidam pinguis plus habendū MORO gratiæ, quām actuarii cuiquam scribæ, qui in curia aliorū sentētias dūtaxat enotet, doriphoremati ritu (quod aiūt) interim assidendo, nihil ipse censens. quod diceret ea omnia ex Hythlodæi ore excepta, & à MORO tantū in literas missa. Proinde MORVM nullo laudandum aliqui nomine, nisi quod hæc commode retulisset. Et nō deerant, qui hominis iudicio uelut rectissime sentientis album adjicerent calculum. Ἐφα οὐ τούτοι τῷ μῶσον χαριευτισμὸν Δέχῃ, τοιούτους ἄνδρας οὐ τοὺς τυχόντας ἀλλὰ τοὺς δοκίμους παρὰ τοῖς πολλοῖς, καὶ ταῦτα θεολόγους, πλα-  
ταντος; Postremo si hoc quoq; scire cupis, Guil. Lilius,

MORI sodalis, cum quo uertendis Græcis epigramma  
tibus iam olim collusit, quæ Progymnasmatum titulo  
sunt inscripta, Britannus est, uir omnifariam doctus,  
non modo Græcos autores, sed & eius nationis mores  
uernaculos domestice notos habens, ut qui in insula  
Rhodo fuerit aliquot annos cōmoratus. is nunc ludū  
literarium, quem Londini Coletus instituit, magna cū  
laude exercet. Quod supereft, cum tibi per occupatio/  
nes licebit, quibus in obeundis legationibus admis/  
nistrandaq; Republica, laboriosissime distra/  
heris, hoc libelli in manum cape, lege. &

MORO, cuius os, ut puto, nondum  
uidisti, sed ex scriptis iam pri-  
dem cognitū habes, faue.

Bene Vale clarissime

uir. Basileæ, VII

Cal. Mar-

tias.

ANNO M. D. XVIII.

# PROGYNAS<sup>171</sup>

MATA THOMAE MORI, ET GVI-

LIELMI LILII SODALIVM.

## ΛΟΥΚΙΑΛΙΟΥ



χρ ἀσκληπιάδης ὁ φιλάργυρος ἐῖδε μὲν οὐτικῶ,  
ιοὺ τί ποιεῖ φίλατατε μῆ παρέμοι;  
ἥδιν δὲ διμῆς γελάσσας, μηδὲν φίλε φίλοι φοβηθῆς  
οὐχὶ τροφής ωρὰ σοὶ χθύρομεν, ἀλλὰ μονῆς.

T. MORI IN AVARVM.

Murem Asclepiades ut apud se uidit auarus,

Mus quid in æde facis dixit amice mea?

Mus blande arridens, tolle inquit amice timorem,

Hic ego non uictum quæro, sed hospitium.

G. LILII.

Murem Asclepiades in techo uidit auarus,

Et quid apud me o mus, inquit, amice facis?

Mus ridens inquit, nihil o uerear amice,

Non abs te uictum, sed mihi quæro domum.

ΠΑΛΛΑΔΑ.

πλοῦτοι μὲν πλουτοῦτος ἔχει, τυχήδε πένητε,

ὦ τοῖς κληρονόμοις ταλάσσαι, σοίδε πένησ.

G. LILII IN AVARVM.

Diuitias locupletis habes, animam sed egeni.

Hæredi o diues, sed tibi solus egens.

T. Mori.

## T. MORI.

Diuitias locupletis habes, in opis tibi mens est.

O miser haeredi diues, in opisque tibi.

## ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ.

Αγρός ἀχαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δὲ μενίππου,

καὶ πάλιν εξ ἑτέρου, θάσομαι εἰς ἑτερομ.

καὶ γέρες ἐκένος ἔχειν μὲ ποτὲ φέτο, Καὶ πάλιν οὗτος

δίεται. Εἰμὶ δὲ σλως οὐδὲνός, ἀλλὰ τύχης.

## G. LILII, DE POSSESSIONIBVS INCERTIS.

Nuper Achemenidæ, sed nunc sumus arua Menippi.

Et nunc hunc rursus, nunc alium petimus.

Ille etenim nuper, nunc & nos alter habere

Se putat, at nobis nil nisi casus inest.

## T. MORI.

Nuper Achemenidæ fueram, nunc ecce Menippi,

Adque alium rursus deueniam ex alio.

Me proprium nunc iste putat, proprium ille putabat.

Ast ego nullius sum, nisi sortis ager.

## ΑΔΗΛΟΝ.

Σώματα πολλὰ τρέφει, καὶ δώματα πολλὰ ἀμεγείρει,

ἀτραπός εἰς πενίκην δέσιμοι μοτάτη.

## T. MORI, DE LVXV IMMODICO.

Multas ædificare domos, & pascere multos,

Est ad pauperiem semita recta quidem.

## G. LILII.

Corpora multa alere, & complures ponere sedes,

Ipsa est

G. LILII PROGYMNASMATA, 173

Ipsa est ad summam semita pauperiem.

ΑΟΙΚΙΑΝΟΣ.

Ως τεθνησόμενος, οἵν σῶμα ἀγαθῶμα πόλαβε,  
ῶς δὲ βιωσόμενος, φείδεο σῶμα κτεάνωρο  
ὅτι δὲ ἀνήρ σφόδρα οὔτε, διὸ ἄμφω ταῦτα νοήσει,  
φεδοῖ, οὐδὲ δαπάνη μέτρον ἐφηζμόσκτο.

G. LILII. DE MODERATO SVMPTV

Diuitijs utare tuis tanquam moriturus.

Tanquam uicturus, parcito diuitijs.

Vir sapiens est ille quidem, qui hæc ambo uolutans

Parcit, quiç modum sumptibus applicuit.

T. MORI.

Tanquam iam moriturus partis utere rebus.

Tanquam uicturus denuo parce tuis.

Ille sapit, qui perpensis hijs rite duobus,

Parcus erit certo munificusç modo.

ΑΔΗΛΟΝ.

Βλασιει καὶ σὺ Τύχη, μέγα χαιρεῖε. τὸ μὲν λιμένι εὔρομε  
οὐδὲν ἔμοι, χρυσῆ μὲν ωμῆς τε τούτη μετ' ἔμε.

T. MORI. DE CONTEMPTV

FORTVNAE.

Iam portum inueni, Spes & Fortuna ualete.

Nil mihi uobiscum est. ludite nunc alios.

G. LILII.

Inueni portum, Spes & Fortuna ualete.

Nil mihi uobiscum. ludite nunc alios.

γ παθαδε

## ΠΑΛΛΑΔΑ.

Γνές ἐπέβημ γυμνός, γυμνός θύπος γαῖαρ ἄπειμ,  
καὶ τι μάτηρ μοχθῶ, γυμνός δρῶμ τέλος;

## G. LILII. DE MORTE.

Ingredior nudus terram, egredior quoq; nudus,  
Quid frustra studeo, funera nuda uidens?

## T. MORI.

Nudus ut in terram ueni, sic nudus abibo.

Quid frustra sido, funera nuda uidens?

## ΑΔΗΛΟΝ.

Οἶνος, οὐδὲ τὰ λοετρὰ, οὐδὲ τὸ περὶ κῆπου τέως,  
δευτέρου πέμπτα πώλῳ δομὸν εἰς ἀθέτηρ.

## T. MORI. DE LVXV

## ET LIBIDINE.

Si quis ad infernos properet descendere manes,

Huc iter accelerant, balnea, uina, Venus.

## G. LILII.

Nos caligantis rapiunt ad tecta tyranni,

Præcipiti cursu, balnea, uina, Venus.

Οὐχ ὅντως ελάπτει μισθὸν λέγωμ ἀναφαινόμ  
ῶστερ δ τὴν καθάραν τὸνδόμενος φιλίαν.  
τὸν μὴν γαῆρ μισοῦτα, προειδότες, ἐκτρεπόμενα,  
τὸνδε λέγοντα φιλέμ, οὐ προφυλασσόμενα.  
τεχθρόντες κανορ κρίνων βαρύν, σε ποτὲ λάθρη  
πώλῳ πότε τῆς φιλίκης πίσιμ τέχωμ, ἀδικεῖ.

T. Mori

## T. MORI. DE FICTO AMICO.

Non æque nocet hic, qui sese odiſſe fatetur,

Atq; hic qui puram fingit amicitiam.

Oſorem monitus fugio, fugiſſe ſed illum

Quomodo qui ſe me fingit amare, queo;

Peffimus hic certe eſt inimicus, quisquis amicus

Creditus, occulta ſubdoluſ arte nocet.

## G. LILII.

Non iſ tam laedit, liquide qui dixerit, odi,

Quām qui ſinceram fingit amicitiam.

Vitabis certe quem noueris eſſe nocentem,

Aſt illum nunquām qui tibi dixit, amo.

Ifle mihi grauiſ eſt hostis, qui clam nocuiſſe

Gaudet, quiq; fidem fert in amicitia.

## ΕΙΣ ΛΑΚΑΙΝΑΝ ΑΔΗΛΟΝ.

τυμνόν θέλει λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέμοιο

παῖδες ἔδρης πάτρων ὡκὺν ἱέντα πόδα,

ἀντίκαιοί εἰσαγόντες πάταχον λόγχην

ἄρρενα ἐκεῖμενον φθόνον ἐπὶ κταμένων.

ἀλλότριον αὐτάρτας εἴπερ γένος, ἄρρενε πόδες ἔδαφος,

ἔργες ἐπειδὲ φεύσω πατρίδα, καὶ γενέτας.

## T. MORI. DE MILITE SPARTANO.

In patriam amissis celeri pede dum redit armis,

Conſpiciens gnatum ſæua Lacæna ſuum.

Obuia ſublata corpus transuerberat hasta,

Hæc ſuper occiſum maſcula uerba loquens.

y 2 Degener

Degener o Sparta genus, ito in Tartara tandem,  
Ito degeneras, & patria, & genere.

## GVIL. LILII.

Quum nudum è bello gnatum remeare Lacæna  
Vidit, & in patrios accelerare lares.  
Insultans contra, pectus traiecerat hasta,  
Horrida in extinctum uoce uirago furens.  
Spartanam quando es patriam mentitus, auoscę,  
Ad manes tandem degener inquit, abi.

## ΑΓΑΘΙΟΥ.

Χωλόμ ἔχεις τὸν οὐδὲν πόδα. οὐδὲ γέρανησσε.  
Ἐποντα τὴν τοῦ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

## T. MORI. IN CLAVDVM ET STUPIDVM.

Clauda tibi mens est, ut pes. natura notascę  
Exterior certas interioris habet.

## GVIL. LILII.

Tardus es ingenio, ut pedibus. natura etenim dat  
Exterius specimen, quod latet interius.

## ΑΔΗΛΟΝ.

Εἰ μὲν μαθῆμ ἀ δὲ παθῆμ,  
οὐδὲ μὴ παθῆμ, καλὸμ ἐπὶ μαθῆμ.  
Εἰ δὲ μαθῆμ ἀ δὲ μαθῆμ,  
τί δὲ μαθῆμ. παθῆμ γάρ γέγε.

T. MORI. THEOPHRASTI APVD  
AVLVM GELLIVM DILEMMA.

Si uitare queas, quæ sunt patienda, sciendo,

Scire

Scire quidem pulchrum, quæ paterere, foret.  
 Sin quæ præscieris uitandi est nulla potestas,  
 Quid præscire iuuat, quæ patiere tamen?

G. LILII.

Si posset casus quisquam præscire futuros,  
 Et uitare simul, scire suave foret.  
 Sin patienta tibi prorsus quæ scire requiris,  
 Quid præscisse iuuat? namq; necesse pati.

T. MORI, CARMINE IAMBICO TRIMETRO.

Præscire si queas, quæ oporteat pati,  
 Queasq; non pati, bonum est ut præscias.  
 At si te oporteat, licet scias, pati,  
 Præscire quid iuuat? necesse enim est pati.

Π Α Λ Λ Α Δ Α.

Διὸς δὲν ἀδελφοὺς ὁδὸν ἐπέχει τάφος. Ἐμὸντες ἐπέχομ  
 οἵμαρης κοὐζ γενεῖς οἱ δύο θεατῶν.

T. MORI. IN DVOS FRATRES, VNO  
 ET NATOS ET MORTVOS DIE.

Quatuor hic tumulus fratres complectitur. ex his  
 Lux simul una duos & parit, & perimit.

G. LILII.

Quatuor hic tumulus fratres habet. una duobus  
 Lux & natalis, mortis & una fuit.

Ζεῦς, κύκνος, τάῦρος, σάτυρος, θυσίδες δι' ἔρωτα  
 λακής, εὐρώπης, ἀντιόπης, δανάης.

y 3 T.Mori

T. MORI. DE IOVE MUTATO.

Taurus, olor, satyrus; ob amore & Iuppiter aurum est  
Europes, Ledes, Antiopes, Danaes.

G. LILII.

Taurus, olor, satyrus, per amorem Iuppiter aurum  
Europæ, Ledes, Antiope, Danae.

ΑΔΗΛΟΝ.

Εννέα τὰς μούσας φασί τινες, ὡς ὅλι γάρως  
ηνὶ μὲν οὐδὲ σαπφὼ λεσβῶνεμ καὶ δεκάτη.

T. MORI. IN SAPPHO.

Musas esse nouem referunt, sed prorsus aberrant,  
Lesbica iam Sappho Pieris est decima.

G. LILII.

Quām temere dixerūt nouem quidam esse sorores  
Musarum, en Sappho Lesbis adest decima.

ΑΓΑΘΙΟΥ ΣΧΟΛΑΣΤΙΚΟΥ.

Α σάτυρος τὸν χαλκὸν ὑπέμειραμι, καὶ διὰ τέχνης  
χαλκὸς ἀναγκασθεὶς, ἀμφεχύθη σατύρῳ.

G. LILII. IN AEREAM SATYRI STATVAM.

Aut Satyrus fusus circum æs, aut arte coactum  
Illud idem circum fusum erat æs Satyro.

T. MORI.

Prorsum admiranda dum circumflectitur arte,  
Aut Satyrum hoc tegit æs, aut Satyro æs tegitur.

EIVSDEM.

Aut isti Satyrus iam circumflectitur æri,

Aut isto

L I L I I P R O G Y M N A S M A T A . 179

Aut isto Satyrus iam circumflectitur ære.

ΕΙΣ ΑΓΑΛΜΑ ΝΙΟΒΗΣ.

Ἐις ψωλεῖς μὲν θεοὶ τέυξαν λίθοι, ἐκδέκτη λίθοιο

ζωλὺ πραξίτελκος ἔμπαλιρ ἐργάσαρ.

G. LILII. IN STATVAM NIOBES.

Exuita saxum Dij me fecere, sed ipse

Ex saxo uitam denuo Praxiteles.

T. MORI.

Dij ex uiua lapidem fecere, at quum lapis esset,

Me uiuam fecit denuo Praxiteles.

ΣΙΜΩΝΙΔΟΣ.

Δῆμος οὐ καθιστάωμ σὲ νεοπήροελ τούτῳ τῷδε

τίμηστος ἐννοίης ἐνστεβίης δὲ εὐεκα.

T. MORI. IN STATVAM NEOPTOLEMI.

Cecropis urbs te tota Neoptoleme hac statua ornat.

Vt faciat, faciunt hinc amor, hinc pietas.

G. LILII.

Hoc te donarat propter pietatem & amorem,

Signo Cecropidū turba Neoptoleme.

FINIS PROGYNASMATON THO

MAE MORI, ET GVILIELMI

LILII SODALIVM.

Epigrammata

EPIGRAMMA  
TA CLARISSIMI, DISERTISSIMI QVE VI  
RI THOMAE MORI BRITAN  
NI, PLERAQVE E GRAE  
CIS VERSA.



EREOR illustrissime prin-  
ceps, dum more uirginum,  
quæ satis formæ suæ non fi-  
dūt, picturæ lenocinio gra-  
tiam illepidis uersiculis cō-  
parare studeo, ne eos qua  
maxime dote placere potu-  
issent, id est ipsius rei noui-  
tate, fraudarim. Nam quū  
ilico in præsentem coronationem tuam conscriptos eos  
pictori exornādos dedissem, effectit certe podagra, qua  
protinus quām opus inchoauit, incōmodissime tētatus  
est, ut eos nunc tandem, serius aliquanto quām res po-  
stulare uidebatur, exhibeam. Itaq; (si tecum pro insita  
humanitate tua liberius agi finis) haud scio, maiorem  
ne gratiā uersiculis nostris pictoris manus adiecerint,  
an pedes ademerint. Quippe quibus effectum est, ut  
mihi uerendum sit, ne nō minus sera, ac proinde intem  
pestiuia uideri tibi possit hæc nostra gratulatio, quām  
olim

olim Tyberio principi uisa est, Iliensium illa consolatio,  
 qua eum de morte filij, iamdiu defuncti, consolabatur.  
 quam ille faceta dicacitate delusit, respondens se eo  
 rum quoq; uicem dolere, quod bonum militem amisis-  
 sent Hectorem. uerum eorum officium, ad luctum nō  
 senescentem modo, sed planè præmortuum, non po-  
 tut esse non ridiculum, meum uero ab hoc uitio uendi-  
 cat immēsa illa de celebri coronatione tua lætitia. quæ  
 quum pectoribus omniū tam efficacem sui uim ac præ-  
 sentiam impresserit, ut senescere uel. integra ætate non  
 possit, effecit nimirum, ut hoc meum officium non sero  
 re peracta atq; euanida, sed præsens in rem præsentem  
 peruenisse uideatur. Vale princeps illustrissime, & (qui  
 nouus, ac rarus regum titulus est) amatissime.

# IN VSCEPTI

DIADEMATIS DIEM HENRICI OCTAVI,

ILLVSTRISSIMI AC FAVSTISSIMI BRI-

TANNIARVM REGIS, AC CATHERI-

NAE REGINAB EIVS FELICIS-

SIMAE, THOMAE MORI

LONDONIENSIS CAR-

MEN GRATVLATORIVM.



I qua dies unq; si quod fuit Anglia tēpus,

Gratia quo superis esset agenda tibi.

z Hac est

Hæc est illa dies nivœ signanda lapillo,  
 Læta dies fastis annumeranda tuis.  
 Meta hæc seruitij est, hæc libertatis origo,  
 Tristitiaæ finis, lætitiaæq; caput.  
 Nam iuuenem sædi decus o memorabile nostri  
 Vngit, & in regem præficit ista tuum.  
 Regem qui populi non unius usq;, sed orbis  
 Imperio dignus totius unus erat.  
 Regem qui cunctis lachrymas detergat ocellis,  
 Gaudia pro longo substituat gemitu.  
 Omnia discussis arrident pectora curis,  
 Ut solet excussa nube nitere dies.  
 Iam populus uultu liber præcurrat amœno,  
 Iam uix lætitiam concipit ipse suam.  
 Gaudet, ouat, gestit, tali sibi rege triumphat,  
 Nec quicquam nisi rex quolibet ore sonat.  
 Nobilitas, uulgi iam dudum obnoxia feci,  
 Nobilitas, nimium nomen inane diu,  
 Nunc caput attollit, nunc tali rege triumphat,  
 Et merito causas unde triumphet, habet.  
 Mercator uarijs deterritus ante tributis,  
 Nunc maris insuetas puppe resulcat aquas.  
 Leges inuaidæ prius, imo nocere coactæ.  
 Nunc uires gaudent obtinuisse suas.  
 Congaudent omnes pariter, pariterq; rependunt  
 Omnes uenturo damna priora bono.

Iam

Iam quas abdiderat cæcis timor ante latebris,  
Promere quisq; suas gaudet & audet opes:  
Iam iuuat o, potuit tot furum si qua tot uncas  
Tam circumspetas fallere præda manus:  
Non iam diuitias ullum est (magnum esse solebat)  
Quæsitas nullo crimen habere dolo.  
Non metus occultos insibilat aure susurros,  
Nemo quod taceat, quodue susurret, habet.  
Iam delatores uolupe est contemnere, nemo  
Deferrit, nisi qui detulit ante, timet.  
Conueniunt igitur simul ætas, sexus, & ordo,  
Causaq; non ullum continet ulla domi.  
Quo minus intersint, dum sacris rite peractis,  
Rex init auspicijs regna Britanna bonis,  
Quacunq; ingreditur, studio conferta uidendi  
Vix sinit angustam turba patere uiam.  
Opplenturq; domus, & pondere tecta laborant,  
Tollitur affectu clamor ubiq; nouo.  
Nec semel est uidisse satis, loca plurima mutant,  
Si qua rursus eum parte uidere queant.  
Ter spectare iuuat, quid ni hunc spectare iuuaret,  
Quo natura nihil finxit amabilius?  
Mille inter comites excelsior omnibus extat,  
Et dignum augusto corpore robur habet.  
Nec minus ille manu est agilis, quam pectore fortis,  
Seu res districto debeat ense geri.

z 2 Seu quū

Seu quum protentis auide concurritur hastis,

Seu petat oppositum missa sagitta locum.

Ignea uis oculis, Venus insidet ore, genisq;

Est color, in geminis qui solet esse rosis.

Illa quidem facies alaci ueneranda uigore

Esse potest teneræ uirginis, esse uiri.

Talis erat, Nympham quū se simulauit Achilles.

Talis, ubi Aemonijs Hectora traxit equis.

O si animi præstans unā cum corpore uirtus.

Cerni, natura non prohibente, queat.

Imo etiam uultu uirtus pellucet ab ipso,

Est facies animi nuncia aperta boni.

Quām matura graui sedeat prudentia mente,

Quām non solliciti pectoris alta quies,

Quocq; modo fortem ferat, & moderetur utrancq;

Quanta uerecundæ cura pudicitia,

Quām tranquilla souet placidum clementia pectus,

Quām procul ex illo fastus abest animo,

Principis egregius nostri (quas fingere non est)

Præ se fert certas uultus & ipse notas.

At qua iustitia est, regnandi quas habet artes,

Prosequitur populum qua pietate suum,

Hæc facile ex uultu fiunt illustria nostro,

Hæc sunt ex nostris conspicienda bonis.

Quod sic afficimur, quod libertate potimur,

Quodq; abierte timor, damna, pericla, dolor,

Quod

Quod rediere simul, pax, commoda, gaudia, risus,

Eximij uirtus principis inde patet.

Eneruare bonas immensa licentia mentes,

Idq; etiam in magnis assolet ingenij.

At quamuis erat ante pius, mores tamen illi

Imperium dignos attulit imperio.

Nam bona quæ pauci sera fecere senecta,

Protinus in primo præstítit ille die.

Illico correptos inclusit carcere, quisquis

Consilio regnum læserat ante malo.

Qui delator erat, uincis constringitur arctis,

Vt mala quæ multis fecerat, ipse ferat.

Ad mercatores aperit mare, si quod ab illis

Durius exactum est ante, remisit onus.

Despectusq; diu magnatum nobilis ordo,

Obtinuit primo pristina iura die.

Ille magistratus & munera publica, uendi

Quæ sueuere malis, donat habenda bonis.

Et uersis rerum uicibus feliciter, ante

Quæ tulit indoctus præmia, doctus habet.

Legibus antiquam (nam uersæ euertere regnum

Debuerant) subito uimq; decusq; dedit.

Omnis cumq; prius prorsus desciceret ordo,

Protinus est omnis redditus ordo sibi.

Quid quod in his etiam uoluit rescindere quædam;

Vt populo possit commodus esse suo.

Quæ tamen ante suo nouit placuisse parentis?  
 Sic patriam, ut decuit, prætulit ille patri.  
 Nec miror. quid enim non principe fiat ab illo,  
 Cui cultum ingenuis artibus ingenium est?  
 Castalio quem fonte nouem lauere sorores,  
 Imbuit & monitis Philosophia suis.  
 Nominibus populus multis obnoxius omnis  
 Regi erat. hoc unum pertimuitque malum.  
 At rex, hinc metui quum posset, posset & inde  
 Congerere immensas, si uoluisset, opes.  
 Omnibus ignouit. securos reddidit omnes.  
 Sollicitique malum substulit omne metus.  
 Ergo alias populi reges timuere, sed istum,  
 Per quem nunc nihil est quod timeatur, amant.  
 Hostibus o princeps multum metuende superbis.  
 O populo princeps non metuende tuo.  
 Illi te metuunt. nos te ueneramus, amamus.  
 Illis, noster erit, cur metuaris, amor.  
 Sic te securum, demptaque satellite tutum,  
 Vndique præstabunt, hinc amor, inde timor.  
 Extera bella quidem, coeat si Gallia Scotis,  
 Sit tantum concors Anglia, nemo timet.  
 At procul intestina aberunt certamina. namque  
 Semina, quas causas unde oriuntur, habent?  
 Primum equidem de iure tuæ titulocque coronæ  
 Quæstio iam non est ulla, nec esse potest.

Quæ

Quæ certare solet iam tu pars utraq; solus.

Nobilis hanc litem soluit uterq; parens.

Ast magis abs te etiam est populi procul ira, tumultus.

Impia ciuilis quæ solet esse caput.

Ciuibus ipse tuis tam charus es omnibus unus,

Vt nemo possit charior esse sibi.

Quod si forte duces committeret ira potentes,

Soluetur nutu protinus illa tuo.

Tanta tibi est maiestatis reuerentia sacræ,

Virtutes merito quam peperere tuæ.

Quæ tibi sunt, fuerant patrum quæcunq; tuorum,

Sæcula prisca quibus nil habuere prius.

Est tibi namq; tui princeps prudentia patris.

Estq; tibi matris dextra benigna tuæ.

Est tibi mens auiæ, mens religiosa paternæ,

Est tibi materni nobile pectus aui.

Quid mirum ergo, nouo si gaudeat Anglia more,

Cum qualis nunquam rexerat ante, regat?

Quid quod lætitia hæc, quæ uisa est non potuisse

Crescere, coniugio creuit adaucta tuo?

Coniugio, superi quod decreuere benigni,

Quo tibi, quoq; tuis consuluere bene.

Illa tibi coniunx, lætus communia tecum

Quam uidit populus sceptræ tenere tuus,

Cuius habent tantam cælestia numina curam,

Vt thalamis ornent, nobilitentq; tuis.

Illa est

Illa est, quæ præcas uincat pietate Sabinas.

Maiestate sacras uicerit heroidas.

Illa uel Acestes castos æquarit amores,

Vel prompto superet consilio Tanaquil.

Illi ore, hoc uultu, forma est spectabilis illa,

Quæ talem ac tantam sola decere potest.

Eloquo fœcunda cui Cornelia cedat,

Inq; maritali Penelopeia fide.

Illa tibi princeps multos deuota per annos,

Sola tui longa mansit amore mora.

Non illam germana soror, nec patria flexit,

Non potuit mater, non reuocare pater.

Vnum te matri, te prætulit illa sorori.

Te patriæ, & charo prætulit illa patri.

Illa tibi felix populos, hinc & inde potentes

Non dissoluenda iunxit amicitia.

Regibus orta quidem magnis, nihiloq; minorum est

Regum, quam quibus est orta, futura parens.

Hactenus una tui nauem tenet ancora regni,

Vna, sat illa quidem firma, sed una tamen.

At regina tibi sexu fœcunda uirili

Vndiq; firmatam perpetuañq; dabit.

Proueniunt illi magna ex te commoda, rursus

Ex illa ueniunt commoda magna tibi.

Non alia ulla fuit certe te digna marito.

Illa non aliud coniuge dignus erat.

Anglia

Anglia thura feras, sacrumq; potentius omni  
Thure, bonas mentes innocuasq; manus.  
Connubium ut superi hoc, sicuti fecere, secundent,  
Vt data cælesti sceptra regantur ope.  
Vtq; ipsis gestata diu hæc diademata, tandem  
Et natus nati gestet & inde nepos.

EIVSDEM, IN SVBITVM IMBREM, QVI  
IN POMPA REGIS AC REGINAE  
LARGE OBORTVS, NEC SO-  
LEM ABSTVLIT, NEC  
DVRAVIT.

Dum peterent sacras rex & regina coronas,  
Pompa qua nunquam pulchrior ulla fuit:  
Aureus explicuit late se Phœbus, eratq;  
Læta dies populi consona pectoribus.  
At ubi iam medium celebris peruenit in urbem,  
Tota statim æthereis pompa rigatur aquis.  
Nulla tamen Phœbi subduxit lumina nubes,  
Et minima nimbus perstetit ille mora.  
Res bene contra æstus cecidit, rem siue quis ipsam  
Spectet, siue omen, non potuit melius.  
Principibus nostris uberrima tempora spondent,  
Et Phœbus radijs, & Iouis uxor aquis.

EIVSDEM AD REGEM.

Cuncta Plato cecinit tempus quæ proferat ullum,  
Sæpe fuisse olim, sæpe aliquando fore.

A Ver fugit,

Ver fugit ut celeri, celeriç reuertitur anno,  
 Bruma pari ut spacio quæ fuit ante, redit.  
 Sic inquit rapidi post longa uolumina cæli  
 Cuncta per innumeræ sunt redditura uices.  
 Aurea prima sata est ætas, argentea post hanc.  
 Aerea post illam, ferrea nuper erat.  
 Aurea te princeps redierunt principe sæcla.  
 O possit uates hactenus esse Plato.

EIVSDEM AD REGEM DE SPECTACVLIS EQVESTRIBVS PER EVM  
 AEDITIS, EPODON

## IAMBICVM.

Quæcunq; reges ædiderunt hactenus.  
 Equestrium spectacula,  
 Lugubris illa semper aliqua reddidit:  
 Calamitas insignia.  
 Aut tabido transuerberati militis.  
 Madens harena sanguine.  
 Aut lanceis ista unguisue sonipedum:  
 Obtrita plebs ferocium;  
 Turbam ue comprimens simul miserrimam:  
 Lapsæ ruina machinæ.  
 Verum tua hæc spectacula o rex omnium:  
 Quæ uidimus pulcherrima,  
 Non ulla clades, sed tua digna indole.  
 Insignit innocentia.

Eiusdem

EIVSDEM, DE VTRAQVE ROSA  
IN VNVM COALITA.

Purpureæ uicina fuit rosa candida. ut ranq;

Vtraq; dum certant, sit prior utra, premit.

Vtraq; sed florem rosa iam coaleuit in unum,

Quoq; potest uno lis cadit illa modo.

Nunc rosa consurgit, nunc pullulat una. sed omneis

Vna habet haec dotes, quas habuere duæ.

Scilicet huic uni species, decor, atq; uenustas,

Et color, & uirtus, est utriusq; rosæ.

Alterutram ergo rosam uel solam quisquis amauit,

Hanc in qua nunc est, quicquid amauit, amet.

At qui tam ferus est, ut non amet, ille timebit.

Nempe etiam spinas flos habet iste suas.

## IN RHETOREM INDOCTVM.

È GRAECO.

Quinq; Solœcismis donauit Rhetora Flacchum,

Quinq; statim decies reddidit ille mihi.

Nunc numero hos, inquit, paucos contentus habeto,

Mensura accipies quando redibo Cypro.

## IN SVSPICIONEM. È GRAECO.

Magnâ habet in rebus uim ac pondus, opinio. non uis

Lædere, uelle tamen si uideare, peris.

Sic & Philolaum quondam occidere Cretenses,

Quem falso credunt uelle tyrannum agere.

A 2 In rhetorē

IN RHETOREM INFANTEM SCITE  
PICTVM. E GRAECO.

Ipse tacet Sextus, Sexti meditatur imago.

Ipsa est rhetor imago, ab imagine rhetor imago est.

IN CAECVM ET CLAVDVM MENDICOS.

Claudipedem gestat cæcis uicinus ocellis,

Conducitq; oculos arte, locatq; pedes.

ALITER.

Cæcus claudipedem gestat, prudenter uterq;

Rem gerit, atq; oculos hic locat, ille pedes.

ALITER.

Cæcus fert claudum, atq; opera conduit eadem,

Istius ille oculos, illius iste pedes.

ALITER.

Claudum cæcus onus graue, sed tamen utile uectat.

Prospicit atq; oculis, huic regit ille pedes.

IDEM FVSIVS.

Tristis erat nimium miseris Fortuna duobus.

Huic oculos, illi dempsit iniqua pedes.

Sors illos copulat similis, claudum uehit alter.

Sic sua communi damna leuant opera.

Hic pedibus quoquis alienis ambulat, itur

Huic recta alterius semita luminibus.

IDEM ALITER.

Vtlius nihil esse potest, quam fidus amicus,

Qui tua damna suo leniat officio.

Fœdera

Fœdera contraxere simul mendicus uterq;

Cum claudio solidæ cæcus amicitæ,

Claudio cæcus ait, collo gestabere nostro.

Rettulit hic, oculis cæce regere meis.

Alta superborum fugitat penetralia regum,

Inq casa concors paupere regnat amor.

ALITER.

Cum claudio cæcus sic lege paciscitur æqua, ut

Hic ferat illum humeris, hunc regat ille oculis.

PINVS NAVTICA LOQVITVR

VENTO SVBVERSA.

E GRAECO.

Pinus ego uentis facile superabilis arbor,

Stulte quid undiuagam me facis ergo ratem?

An non augurium metuis? quum persequitur me

In terra, Boream qui fugiam in pelago?

IDEA ALITER.

Ventis pinus humo sternor, quid mittor in undas?

Iam nunc passa prius quam nato naufragium.

IN NAVIM EXVSTAM.

Iam ratis æquoreas oneraria fuderat undas,

Matris at in terræ deperiit sinibus.

Corripitur flammis, atq; ardens auxiliares

Quas maris hostiles fuderat, optat aquas.

A 3 Cunicula

CVNICVLA LOQVITVR, QVAE ELAPSA  
MVSTELAE INCIDIT IN DISPO-  
SITA VENATORVM RETIA.

Mustelam obliquo dilapsa foramine fugi,  
Sed feror humanos heu misera in laqueos.

Hic ego non uitam celerem, non impetro mortem.  
Seruor ut heu rapidis obijciar canibus.

Qui mea dum laniant scelerato uiscera morsu.  
Spectat, & effuso sanguine ridet homo.

O durum genus, atq; fera truculentius omni,  
Nex cui crudelem præbet acerba iocum.

INNOCENTIAM OBNOXIAM ESSE  
INIVRIAЕ. È GRAECO.

Auslus erit mordere malum uel mus, uetus hoc est  
Verbum, sed longe res habet ipsa secus.

Innocuos audet uel mus mordere, nocentem  
Tangere non audet territus ipse draco.

IN EFFLATVM VENTRIS. È GRAECO.

Te crepitus perdit, nimium si uentre retentes.  
Te propere emissus seruat item crepitus.

Si crepitus seruare potest & perdere, nunquid  
Terrificis crepitus regibus æqua potest?

DE MORTIS AEQVALITATE.  
È GRAECO.

Victor ad Herculeas penetres licet usq; columnas,  
Te terra cum alijs pars manet æqua tamen,

Iro

Iro pat moriere, obolo non dicitur uno,  
Et tua te (sed non iam tua) soluet humus.

IN SORDIDVM. È GRAECO.

Te ditem appellant omnes, ego planè inopem te.

Nam facit usus opes, testis Apollophanes.

Sit uerare tuis, tua fiunt, sin tua serues.

Hæredi, tua iam nunc aliena facis.

VENATVS ARANÆAE.

Insidiata uagam comprehendit aranea muscam;

Et lentis trepidam cassibus implicuit.

Iamq; hiat in morsum, sed saepe os inter & offam,

Vt uerbum uetus est, multa uenire solent.

Sors musæ miseretur, & aduersatur Arachnæ,

Inq; malam è misera transtulit exitium,

En stimulante fame properans inuadis utramq;

Sturne, ruunt casses, hæc fugit, illa perit.

Sic misero spes est plerumq; secure sub ipsa,

Inter & armatos mille malo metus est.

IN CYNICVM STVLTE ABSTI-

NENTEM. È GRAECO.

Barbati Cynici, baculoq; uagantis egeni

In coena magnam conspicimus sophiam.

Scilicet hic raphanis Cynicus primum atq; lupino,

Ne uirtus uentri seruiat, abstinuit.

Atniueum postq; bulbum conspexit ocellis,

Iam rigidum & sapiens excutit ingenium.

Flagitat

Flagitat atq; audie spem præter deuorat omnem,  
Virtuti bulbis, nil ait officiet.

EPITAPHIVM MEDICI. E GRAECO.

Theſſalus Hippocrates, Cous genere, hac iacet urna,

Phœbi immortalis semine progenitus.

Crebra trophœa tulit morborum armis medicinæ,

Laus cui magna, nec id forte, sed arte fuit.

IN SERVVM MORTVVM. E GRAECO.

Hic seruus dum uixit, erat, nunc mortuus idem

Non quām tu Dari magne minora potest.

IN ANCILLAM MORTVAM.

Ante fuit solo Sosime corpore serua,

Nunc fato pars est hæc quoq; missa manu.

IN PISCATOREM ADAMATVM. E GRAECO.

Pisces dum captat pescator, diuitis illum

Nata uidet, uisi flagrat amore uiri.

Deinde uiro nubit, sic illi ex paupere uita,

Magna superbarum copia uenit opum.

Adstetit & ridens Fortuna ait, heu Venus haud iam

Mars erat iste tuus, Mars erat iste meus.

ALITER,

Mars erat iste meus, Venus, inquit, uerba retorquens,

Illico Sors eadem, Mars erat iste meus.

IN REPENTE FELICEM E MISERO. E GRAECO.

Non tibi quod faueat, sicut Fortuna leuauit.

Vel de te liqueat, uult sibi, quid liceat.

In mediocri

IN MEDIOCITATEM. È GRAECO.

Inuidia est peior miseratio, Pindarus inquit.

Felici inuidiam splendida uita facit.

At nimium miserios miseramus, Pindarus inquit.

Hei nimium felix, nec miserandus ego.

Scilicet extremis longe mediocria praestant.

Infima calcantur, summa repente ruunt.

NIHIL PRODESSE TORQVERI METV

MALI VENTVRÍ. È GRAECO.

Cur patimur stulti, namq; haec uæcordia nostra,

Vrat ut indomitus pectora nostra metus.

Seu mala non uenient, iam nos metus urit inanis.

Sin uenient, aliud fit metus ipse malum.

Ipse quidem cecini, scripsit diuinus Homerus.

IN RIDICVLVM IVDICIVM. È GRAECO.

Lis agitur, surdusq; reus, surdus fuit actor.

Ipse tamen iudex surdus utroq; magis.

Pro ædibus hic petit æs, quinto iam mense peracto.

Ille refert, tota nocte mihi acta mola est.

Aspicit hos iudex, & quid contenditis, inquit.

An non utriq; est mater? utriq; alite.

AD LVCERNAM NOCTVRNAM.

Lychne reuersuram ter te iurauit amica.

Hæc credit, o poenas det tibi, si deus es.

Ludenti cum nocte places, extinguere & aufer

Tam sacra tam sacris lumina luminibus.

B Lais

LAIS ANVS AD SPECVLVM.  
È GRAECO.

Nequiter arrisi tibi, quæ modo gratia; amantum  
 Turbam in uestibulis Lais habens iuuenum,  
 Hoc Veneri speculum dico. nam me cernere talem  
 Qualis sum nolo, qualis eram nequeo.

IN MORTIS DIEM OMNIBVS INCERTVM.  
 Non ego quos rapuit mors, defleo. defleo uiuos,  
 Quos urunt longo fata futura metu.  
 Fleres si scires unum tua tempora mensem.  
 Rides quum non sit, forsitan una dies.

IN APVM INDVSTRIAM. È GRAECO.  
 Mellis apes fluuios ipsæ sibi in æthere singunt.  
 Ipsæ quos habitant ædificant thalamos.  
 Grata apis humanæ frugesq; facillima uitæ est.  
 Non bouis aut curuæ falcis egebit ope.  
 Tantum opus hic situla est, ubi dulcia pocula mellis.  
 Vbertim paruo fundat ab alueolo.  
 Congaudete sacræ, uarios & pascite flores.  
 Aetherei uolucres nectaris artifices.

IN ANVM FVCIS FRVSTRÆ  
VTENTEM.

Sæpe caput tinguis, nunq; tinctura senectam,  
 Aut tensura genis quæ tibi ruga tuis.  
 Desine iam faciem stibio perfundere totam,  
 Ne persona tibi hæc sit modo, non facies.

Quum

Quum nihil assequeris fuco stibioç, quid amens  
 Vis tibi nunquam Hecuben hac faciet, Helenen.  
 IN HOMINIS NATIVITATEM. È GRAECO.  
 Heus homo si memor es, quid te dum gigneret, egit  
 Tum pater, ex animo iam tumor ille cadet.

At Plato te factum dum somnias, inflat, inani  
 Aeternumç uocat semen & æthereum.  
 Factus es ecce luto, quid suspicis alta; sed istud  
 Plasmate, qui te ornat, nobiliore feret.  
 Quin si uera uoles audire, libidine fœda  
 Natus es è coitu, guttula & è misera.

## DE ASTROLOGO RIDICULO.

Non Cumæa sacro uates correpta furore,  
 Certius afflata mente futura uidet.  
 Quam meus astrologus diuina clarus in arte  
 Præuidet inspecto sydere præterita.

ALIVD IN ASTROLOGVM VXORIS  
IMPUDICAE MARITVM.

Astra tibi æthereo pandunt sese omnia uati,  
 Omnibus & quæ sint fata futura, monent.  
 Omnibus ast uxor quod se tua publicat, id te  
 Astra, licet uideant omnia, nulla monent.

## IN EVNDEM IAMBICVM.

O chare nobis syderum cælestium  
 Inspector astris, ipse nunc Phœbus tibi  
 Optem libenter indicare clanculum

B 2 Quiddam

Quiddam, quod ad te pertinens quam maxime.  
 Dum cuncta lustro, deprehendi pridie.  
 Sed territat Vénus, minatur & mihi  
 Secundum amorem, qui nihilo securidior  
 Mihi sit futurus, quam fuit Daphnes prior,  
 Quicquam cuius garrulus si deferam  
 Deesse marito, quale detuli prius.  
 Nescibis ergo hoc, cæteras rerum uices  
 Docebo te, nuptæ sed in rebus tuæ  
 Si quid tua non cedat ex sententia,  
 Hoc omnibus prius patebit, quam tibi.

## ALIVD IN EVNDEM.

Quid inter alta stulte queris sydera  
 In humo manentis coniugis mores tuæ?  
 Quid alta spectas? infiet, id est cui tu times?  
 Dum iam tu, agat quid illa, queris in polo,  
 Hæc quæ libebat, interim egit in solo.

## ALIVD IN ASTROLOGVM EVNDEM.

Sydera uestigans inter cælestia demens,  
 Cur dubia semper mente quid uxor agat?  
 Si nescis qualis tibi sit, crede esse pudicam.  
 Quod tibi persuades si bene, iam bene habes.  
 Quid cognoscere uis, quæ non nisi cognita lœdunt?  
 Quid fieri studio uis miser ipse tuo?  
 Hic furor haud dubie est, quum iam desistere possis,  
 Quærere sollicite quod reperire times,

Aliud

## ALIVD IN ASTROLOGVM.

Saturnus procul est; iamq; olim cæstis, ut aiunt,

Nec prope discernens à puero lapidem.

Luna uerecundis formosa incedit ocellis,

Nec nisi uirgineum uirgo uidere potes.

Iuppiter Europen, Martem Venus, & Venerem Mars,

Daphnen Sol, Hyrcen Mercurius recolit.

Hinc factum astrologe est, tua quū capit uxor amātes,

Sydera significant ut nihil inde tibi.

## DE FORMA, DILEMMA IAMBIS

## TRIMETRIS SCAZONTIBVS.

Quid forma confert, Hercules nihil cerno.

Si ferueas, deformis ecce formosa est.

Sin frigeas, formosa iam sit informis.

Quid forma confert, Hercules nihil cerno.

## DE ASTROLOGO DE QVO SVPRA.

Sæpe suam inspectis uxorem Candidus astris,

Prædicat en uates omnibus esse bonam.

Inspectis iterum postquam uxor adultera fugit,

Prædicit uates omnibus esse malam.

## PARAENESIS AD VIRTV-

## TEM VERAM.

Heu miseris quicquid misero blanditur in orbe,

Illico marcescens ut rosa uerna cadit.

Nec quenquam usq; adeo placidis complectitur ulnis

Sors, ut non aliqua parte molesta premat.

B ; Imbibe

Imbibe uirtutes, & inania gaudia sperne.  
Sunt animi comites gaudia uera boni.

AD CONTEMPTVM HVIVS VITAE.  
Nos uelut instabiles uentus quatit omnis aristas,  
Quolibet impellunt spes, dolor, ira, metus.  
Nil habet in rebus pondus mortalibus ullum.

Momento pudor est si moueare leui.

MORTEM NON ESSE METVENDAM,  
CVM SIT FINIS MALORVM.  
È GRAECO.

Non stultum est mortem matrem timuisse quietis:

Quam fugiunt morbi, mœstacq; pauperies:

Sola semel miseris sese mortalibus offert,

Nec quisquam est ad quem mors iterum redijt.

At reliqui morbi uarij, multiq; uiçissim

Nunc hunc, nunc illum, terc; quaterc; premunt.

IN EPISCOPVM QVENDAM SOR-  
DIDVM AC PERPARCVM.

Vita Sibyllinos mea si duraret in annos,

Non bonitas unquam præfulis excideret.

Iugera multa soli locat, amplas possidet urbes,

Centum stipatus progreditur famulis.

Me tamen exigui census, quum nuper adirem,

Excipit, & uere comiter alloquitur.

Quin abiens nigri gustarem ut pocula uini,

È loculo clauem liberat ipse suo.

De uiçissi-

## DE VICISSITUDINE FORTVNAE. È GRAECO.

Lubrica non seruat certum Fortuna tenorem,

Sed rotat instabilem cæca subinde rotam.

Sternere summa libet, libet infima tollere. rerum

Inq[ui]s uicem nulla uertere lege uices.

Maxima quū bona sunt, iā sunt mala proxima. rursus

Maxima quū mala sunt, proxima iam bona sunt.

Forti animo mala fer, nec bis miser esto dolore,

Ne cito uenturis præmoriare bonis.

## VITA BREVIS.

Non tibi uiuacem furor est spondere senectam?

Quum non sit uitæ certa uel hora tuæ.

Finge age Nestorium sis peruenturus in æuum,

Longa tument multis tempora foeta malis.

Omnia ut effugias uiridis quibus angitur ætas,

Tedia longa tibi curua senecta feret.

Tu tamen ad seros(nulli quod contigit)annos

Vt uenias, nullo percitus ante malo.

Hoc tamen exiguum est. ubi nunc tot Nestoris anni?

Ex tanto superest tempore nulla dies.

## PATIENTIA.

Tristia qui pateris perfer, Sors tristia soluet.

Quod si non faciat Sors, tibi mors faciet.

## VITA IPSA CVRSVS AD MORTEM EST.

Nugamur, mortemq[ue] procul procul esse putamus.

At medijs latet hæc abdita uisceribus.

Scilicet

Scilicet ex illa, qua primum nascimur hora,

Prorepunt iuncto uita cō mors cō pede.

Partem aliquam furtim qua se metitur, & ipsam

Surripit è uita quālibet hora tua.

Paulatim morimur, momento extinguimur uno,

Vt lampas oleo deficiente perit.

Vt nihil interimat, tamen ipso in tempore mors est.

Quin nunc, interea dum loquimur, morimur.

DIVES AVARVS, PAVPER EST SIBI. È GRAECO

Diuitias animi solas ego iudico ueras.

Qui rebus pluris se facit ipse suis,

Hunc adeo ditem, hunc opulentum rite uocamus.

Magnarum quis sit qui uidet usus opum.

Calculus at si quem misere numerandus adurit,

Qui misere semper diuitias cumulet.

Hic ut apes paruo crebro cō foramine fosso,

Sudat in alueolo, mel alijs comedunt.

#### DILEMMA EPICVRI.

Deixiat miseram tibi nulla molestia mentem,

Si longa est, leuis est, si grauis est, breuis est.

#### CONTRA.

Deixit heu miseram, prosternit & utraq; mentem.

Longa nec ulla leuis, nec grauis ulla breuis.

#### DE MORTE.

Somniat, hic ditem qui se putat esse, uidet cō

Morte experrectus illico quam sit inops.

Sola

SOLA MORS TYRANNICIDA EST.

Duriter es quicunq; uiris oppressus iniquis,

Spem cape. spes luctus leniat alma tuos.

Versilis in melius uel te Fortuna reponet,

Vt solet excussa nube nitere dies.

Aut libertatis uindex frendente tyranno,

Eruet iniecta mors miserata manu.

Auferet haec (quo plus tibi gratificetur) & illum,

Afferet atq; tuos protinus ante pedes.

Ille opibus tantis, fastuq; elatus inani,

Ille ferox trebris ante satellitibus,

Hic neq; toruus erit, uultu nec ut ante superbo,

Sed miser abiectus, solus, inermis, inops.

O quid uita tibi dedit unquam tale; uicissim

Iam ridendus erit, qui metuendus erat.

O Cor triste malis misere immersumq; profundis

Rumpere sit poenæ terminus iste tuae.

Sanguinolenta tuae dominæ tua uulnera pande.

Illa breui est, quæ nos diuidet una duos.

Quam miser ergo diu sic heu lachrymabo, querarq;

Mors ades, & tantis horrida solue malis.

IN AMICAM FOEDIFRAGAM IOCO SVM.

Dij melius, uenere in hac quæ somnia nocte?

Tota semel mundi machina uersa ruit.

Nec sua lux Phœbo constabat, nec sua Phœbe

Iamq; tumens omnem strauerat æquor humum.

C Maius

Maius adhuc mirum, uox en mihi dicere uisa est,  
Heus tua iam pactam fregit amica fidem.

## DE CVNICVLLO BIS CAPTO.

È rete extrahor, è dígitis in rete relabor.

Heu semel heu fugi, bis miser ut caperer.

## IN VIRGINEM MORIBVS HAVD VIRGINEIS.

Blanda, salax, petulans, audax, uaga, garrula uirgo,

Si uirgo est, uirgo est bis quoq; quæ peperit.

## IN VVORES.

Hoc quisq; dicit, rebus in mortalibus

Quod tristius sit, ac magis uiros grauet,

Natura nil produxit his uxoribus.

Hoc quisq; dicit, dicit, at ducit tamen.

Quin sex sepultis, septimam ducit tamen.

## IN EASDEM.

Res uxor grauis est, poterit tamen utilis esse,

Si sua det propere se moriente tibi.

## IN IMAGINEM DISSIMILEM. È GRAECO.

Hæc tua quam nuper pinxit Diodorus imago,

Cuiusuis magis est, quam tua Menodote.

## IN EANDEM.

Sic se totum isthac expressit imagine pictor,

Vt nulli tam sit, quam tibi dissimilis.

## CHORIAMBICVM DE VITA SVA VI.

È GRAECO.

Non est cura mihi Gygis,

Qui

Qui rex Sardibus imperat.  
Aurum non ego persequor,  
Reges non miser æmulator.  
Curæ est, barba suauibus  
Vnguentis mihi perfluat.  
Curæ est, ut redolentibus  
Cingam tempora floribus.  
Curæ sunt hodierna mi,  
Nam quis craftina nouerit?  
Tornato bene Mulciber  
Argento mihi poculum.  
Iam nunc effice concavum,  
Et quantum potes imbibum.  
Et fac illud ut ambiant  
Non currus, neq; sydera,  
Orion neq; flebilis.  
Vites fac uirides mihi.  
Botri fac mihi rideant  
Pulchro cum Dionysio.

IN MEDICVM IMPOSTOREM, QVI  
GVTTVLAM FICTI BALSAMI  
MAGNO VENDIDIT.

Febre laboranti medicus, feret o tibi certe  
Aut nihil, aut tantum balsamus, inquit, opem.  
Sed nemo me præter habet, per paululum & ipse.  
Gutta emitur libris non minus una decem.

C 2 Nunc

Nunc mihi quinque dabis, reliquias mihi quinque daturus.  
Sanus, ut has nunquam te moriente, petam.

Nunquam rem facies, tanto in discrimine qui uis  
Tam charae guttae ponere dimidium.

Pacta placent, minimoc è uitro & sindone tecto,  
Iacta petit gladij cuspide gutta merum.

Abluat ut uino mucronem, æger obsecrat. absit,  
Inquit, adhuc libras bis habet ille decem.

Gutta, ait, una sat est, & erat satis. unica tantum  
Gutta potest. unam uix bibit, & moritur.

O nimis aduerso contractum sydere pactum.  
Hinc guttae, hinc uitae dimidium perijt.

IN FVCATAM. È GRAECO.

Tinguis capillos foemina, at qui scis, rogas?  
Nigri fuere quum referres è foro.

IN IMAGINEM MALE PICTAM.

Effigie studuit tua in hac ostendere pictor,  
Expressisse queat quam tibi dissimilem.

IN EANDEM.

Hactua tam uere est facies expressa tabella,  
Ut iam non tabula haec sit tibi, sed speculum.

IN EANDEM.

Quam mihi monstrasti demiror Posthume pictor,  
Effigiem quanta finixerat arte tuam.

Inspicit hanc quisquis, si te conspexerit unquam,  
Si non artificis tangitur inuidia,

Tam

Tam similem hic ouo non esse fatebitur ouum,  
Effigies haec est quam tibi dissimilis.

IN ANGLVM, GALLICAE LIN-  
GVAE AFFECTATOREM.

Amicus & sodalis est Lalus mihi,  
Britanniaq; natus, altusq; insula.  
At cum Britannos Galliae cultoribus  
Oceanus ingens, lingua, mores, dirimant,  
Spernit tamen Lalus Britannica omnia.  
Miratur, expetitq; cuncta Gallica.  
Toga superbit ambulans in Gallica,  
Amatq; multum Gallicas lacernulas.  
Zona, locello, atq; ense gaudet Gallico,  
Filtro, bireto, pileoq; Gallico,  
Et calceis, & subligare Gallico,  
Totoq; deniq; apparatu Gallico.  
Nam & unum habet ministrum, eumq; Gallicum.  
Sed quem (licet uelit) nec ipsa Gallia  
Tractare quiret plus (opinor) Gallice,  
Stipendiū nihil dat, atq; id Gallice.  
Vestitq; tritis pannulis, & Gallice hoc.  
Alit cibo paruo, & malo, idq; Gallice.  
Labore multo exercet, atq; hoc Gallice.  
Pugnisq; crebro pulsat, idq; Gallice.  
In coetu & in uia, & foro, & frequentia  
Rixatur, obiurgatq; semper Gallice.

C 3 Quid?

Quid? Gallice illud; imo semigallice.  
Sermonem enim (ni fallor) ille Gallicum  
Tam callet omnem, quam Latinum Pſytacus.  
Crescit tamen, sibiçꝫ nimirum placet,  
Verbis tribus si quid loquatur Gallicis.  
Aut Gallicis si quid nequit uocabulis,  
Conatur id, uerbis licet non Gallicis,  
Sonoçꝫ saltem personare Gallico,  
Palato hiante acutulo quodam sono,  
Et foeminae instar garrientis molliter,  
Sed ore pleno, tanquam id impleant fabæ.  
Balbutiens uidelicet suauiter  
Pressis quibusdam literis, Galli quibus  
Ineptientes abstinent, nihil secus,  
Quam ulpe gallus, rupibusçꝫ nauita.  
Sic ergo linguam ille & Latinam Gallice,  
Et Gallice linguam sonat Britannicam.  
Et Gallice linguam refert Lombardicam.  
Et Gallice linguam refert Hispanicam.  
Et Gallice linguam sonat Germanicam,  
Et Gallice omnem, præter unam Gallicam.  
Nam Gallicam solam sonat Britannice.  
At quisquis insula satus Britannica,  
Sic patriam insolens fastidiet suam,  
Vt more simiæ laboret fingere,  
Et æmulari Gallicas ineptias.

Ex amne

Examne Gallo ego hunc opinor ebrium.  
Ergo ex Britanno ut Gallus esse ntitur.  
Sic Dj iubete, fiat ex gallo capus.

## IN NICOLAVM MALVM

## MEDICVM.

Nunc video haud rerum tantum, sed & ipsa uirorum

Nomina, non temere, sed ratione dari.

Nicolaus nomen medici est. qui conuenit: inquis,

Hoc potius nomen debuit esse ducis.

Dux populos armis uincit. sed & iste uenenis

Et populum, & forteis sternit ubiqz duces.

Sæpe ducem bello repetunt, bis nemo rebellat.

Huic medico, uero est nomine Nicolaus.

## IN IMAGINEM ELEGANTEM,

## SED DEFORMISSIMI.

Ipsam iudice me Venerem superabat Apellis,

Hæc tua quæ uisa est nuper imago mihi:

Pictor in hanc omnes unam consumperat artes,

Spectari hac una quid ualuit, uoluit.

Qualia in re decor, qui nasus, qualia labra,

O quales oculi, qualis ubiqz color.

Tam fuit ex omni longe pulcherrima parte,

Quam fuit à nulla parte tibi similis.

## IN IMAGINEM DISSIMILEM.

Nuper ut ingredior pictoris forte tabernam,

Effigies oculis est tua uisa meis.

Ex te

Ex te dum pictor sic exprimat omnia, uultum  
Immotum credo te tenuisse diu.  
Sic te totum inspecta refert, intelligo cuia est  
Protinus ut pictor rettulit esse tuam.

## IN PARCVM MORIENTEM.

Chrysalus heu moritur diues, dolet, ingemit, unquam  
Nemo magis tristi pectore fata tulit.  
Non quoniam ipse perit, cui nil se uilius ipso est,  
Sed nummi pereunt quatuor in tumulum.

## IN GRAMMATICVM PVTIDVM.

Quū mihi grammaticus mentem subit Heliodorus,  
Nostra Solcēcismos illico lingua timet.

## IN PROGNOSTEN RIDICVLVM.

Hoc anno in regno rex nobilis ille quiescit  
Gallorum, celeber scripserat astrologus.

Rex ubi uix cœpto uita defungitur anno,  
Iam nil se uates quo tueatur, habet.

Rem quidam prorsum cœpit defendere, uerum est  
Augurium, rex iam nonne quieuit? ait.

Latius hoc uerbum prorepit, & undiq; ridens  
Id populus, rex iam nonne quieuit? ait.

Audit ut in populo hoc uates, iam serio uerum est  
Augurium, rex iam nonne quieuit? ait.

IN VEHEMENTER NASVTVM. È GRAECO.  
Nunquam Procle manu nares emungere possis.

Nam tua nare manus, magna licet, minor est.

Quando

EPIGRAMMATA.

213

Quādo Iouem inclamas sternutans, quippe nec audis  
Tam procul ab nasus prominet aure tuus.

IN POËTAM FVRIOSVM.

Sunt etiam in Musis furiæ, quibus ipse poëta  
Fis, pér quas temere carmina multa facis.

Ergo age plurima scribē precor. tibi nempe furorem  
Non ego maiorem quem precer intuenio.

IN PERPV SILLVM. È GRAECO.

Grus ne te rapiat Pygmeo sanguine gaudens,  
Si sapias, media tutus in urbe mane.

NEGLIGENDOS VVLGI RV

MORES. È GRAECO.

Tu te ipsum oblectes, & uulgi uerba loquacis  
Sperne, bene hic de te dicet, & ille male.

IN FATVVM. È GRAECO.

Quem mordent pulices extinguit Morio lychnon,  
Non me inquit cernent amplius hīj pulices.

DE SOMNO. È GRAECO. SEN.

TENTIA ARISTOTELIS.

Fermè dimidium uitæ dormitur, in illo

Aequales spacio diues, in op̄sq̄ iacent,

Ergo Crœse tibi regum ditissime, uitæ

Fermè dimidio par erat Iris egens.

ALIVD.

Non es dum in somno es, dum nec te uiuere sentis,

Felix, at somnus n̄ ueniat, miser es.

D Qui

Qui felix igitur sorte indulgente superbit,  
Inflatusq; leui prosperitate tumet,  
Nox quoties uenit, aut toties iam desinit esse  
Felix, aut toties incipit esse miser.

QVID INTER TYRANNVM  
ET PRINCIPEM.

Legitimus immanissimis  
Rex hoc tyrannis interest.  
Seruos tyrannus quos regit,  
Rex liberos putat suos.

SOLlicitam esse TYRANNI VITAM.  
Magna diem magnis exhaustit cura tyrannis,  
Nocte uenit requies, si tamen ulla uenit.  
Nec tamen hi pluma requiescunt mollius ulla,  
In dura pauper quam requiescit humo.  
Ergo tyranne tibi haec pars felicissima uitæ est,  
In qua mendico partamen esse uelis.

BONVM PRINCIPEM ESSE PATREM.

NON DOMINVM. IAMBICVM.

Princeps pius nunquam carebit liberis,

Totius est regni pater.

Princeps abundat ergo felicissimus

Tot liberis, quot ciuibus.

DE BONO REGE ET POPVLO.

Totum est unus homo regnum, idq; coherret amore.

Rex caput est, populus cætera membra facit.

Rex

Rex quot habet ciues (dolet ergo perdere quenquam)

Tot numerat parteis corporis ipse sui.

Exponit populus sese pro rege, putat quod

Quilibet hunc proprij corporis esse caput.

BONA NON COGNOSCI, NISI

DVM AMITTVNTVR.

Perdendo bona nostra ferè cognoscimus omnes.

Dum possidemus, spernimus.

Sic populo quoque saepe malus, sed sero benignum

Commendat hæres principem.

TYRANNVM IN SOMNO NIHIL

DIFFERRE A PLEBEIO.

Erigit ergo tuas insane superbia cristas,

Quod flexo curuat se tibi turba genu.

Quod populus nudo surgat tibi uertice, quod sit

Multorum in manibus uitâque, morsque tuis.

At somnus quoties artus adstringit inertes,

Hæc tua iam toties gloria dic ubi sit?

Tunc ignauie iaces truncu non impar inani.

Aut paulo functis ante cadaueribus.

Quod nisi conclusus timide intra tecta lateres,

In cuiuscum foret iam tua uita manu.

#### DE PRINCIPE BONO

#### ET MALO.

Quid bonus est princeps, canis est custos gregis inde

Qui fugat ore lupos, quid malus? ipse lupus.

D 2 In raptorē

## IN RAPTOREM ET PATRONVM.

Raptam se queritur uirgo, crimenqz negari

Non potuit, raptor iam peritus erat.

Callidus at subito patronus protrahit ipse

Membrum deducta ueste uirile rei,

Hoccine uirgo tua membrum fuit, inquit, in alio?

Illa uerecundo mota pudore negat.

Vicimus o iudex clamat patronus. ea ipsa est.

Id negat en sine quo se negat ipsa rapi.

## IN FVREM ET PATRONVM.

Dum furti metuit damnari Clepticus, ampolo

Non sine consuluit munere causidicum

Sic ubi saepe diuinqz immensa uolumina uoluit

Spero ait effugies Cleptice, si fugias.

## IN ASTROLOGVM QVI FACTVM

PRAEDIXIT. È GRAECO,

Sæpe patri frater quod debuit esse superstes,

Hoc uelut uno omnes astrologi ore canunt.

Ast Hermoclides obiturum præ patre solus

Dixit, sed dixit postquam obijisse uidet,

## IN HVIVS VITÆ

VANITATEM.

Damnati ac morituri in terræ claudimur omnes

Carcere, in hoc mortem carcere nemo fugit,

Carceris in multas describitur area partes,

Inqz alijs alij partibus ædificant,

Non

Non aliter quām de regno de carcere certant.

In cæco cupidus carcere condit opes,

Carcere obambulat hic uagus, hic uincitur in antro,

Hic seruit, regit hic, hic canit, ille gemit.

Iam quoq; dum cancer non tanquām cancer amatur,

Hinc alij mortibus extrahimur.

REGEM NON SATELLITIVM,

SED VIRTVS RED-

DIT TVTVM.

Non timor inuisus, non alta palatia regem,

Non compilata plebe tuentur opes,

Non rigidus uili mercabilis ære satelles

Qui, sic alterius fiet ut huius erat.

Tutus erit populum, qui sic regit, utiliorem

Vt populus nullum censeat esse sibi.

POPVLVS CONSENTIENS REGNVM

DAT ET AVFERT.

Quicunq; multis vir viris unus præest,

Hoc debet his quibus præest.

Præesse debet neutiquām diutius

Hi quām uolent quibus præest.

Quid impotentes príncipes superbiunt?

Quod imperant precario?

IN PERPVSILLVM. È GRAECO.

Ex atomis Epicurus totum fabricat orbem.

Alchime, dum nihil his credidit esse minus,

D , Exte

Ex te fecisset si tum Diophante fuisses,  
 Nempe atomis multo es tu Diophante minor.  
 Aut forte ex atomis iam cætera scriberet esse,  
 Astipulas ex te scriberet esse atomos.

IN AMOREM CASTVM ET IN  
 CESTVM. È GRAECO.

Hi duo detraxere duos incestus & almus,  
 Dum contra occurrunt hinc amor, inde pudor.  
 Phedram amor Hippolyti cōsumperat igneus, ipsum  
 Interimitq; sacer proh pudor Hippolytum.  
 IN VRBEM ROMAM. È GRAECO.  
 Gradiui genus Hector aue, si quid sub humo audis,  
 Respira, & patriæ nomine cresce tuæ.  
 Ilios urbs colitur, nunc inclyta, gens colit illam,  
 Quam tu Marte minor, Martis amica tamen.

Mirmydones periere, ades & dic Hector Achilli,  
 Esse sub Aeneadis undiq; Thessaliam.

DE MEDIOCRI TATE. È GRAECO.

Ingratū est quicquid nimiū est, sic semper amarū est,  
 Ut uerbum uetus est, mel quoq; si nimium est.

IN VEHEMENTER INFELI  
 CEM. È GRAECO.

Nunquam uixisti o pauper nunquam morieris.  
 Nempe miser uisus uiuere mortuus es.  
 At quibus immensa est fortuna, pecunia multa;  
 His uitæ finem mors aliquando facit.

In Pythagoræ

IN PYTHAGORAE ECHEMY,  
THIAM. È GRAECO.

Rebus in humanis magna est doctrina tacere,

Testis erit sapiens hic mihi Pythagoras.

Nempe loqui doctus, reliquos docet ille tacere.

Magnū hoc ad requiem pharmacon inueniens.

## RIDICULVM IN

## GELLIAM.

Quid modo sædorum miremunt monstra priorum,

Quod loquitur taurus, quod cadit imbre lapis.

Monstra antiqua nouum superat. surrexerat ecce,

Ante tenebrosum Gellia uesper heri,

Plus dicturus eram, nisi me ridere putares,

Surrexit mediam, sed tamen ante diem,

Mira licet sæpe illa tamen uidere priores,

Sæpe potest forsan cernere posteritas,

Istud at hesternam nemo unquam uiderat ante,

Et post hanc poterit nemo uidere diem.

## IN PALLADEM, VENEREM.

## QVE. È GRAECO.

Cur ita me lædis Venerem tritonia uirgo,

Corripis in digitos, cur mea dona tuos?

Silicet Idæis memor esto in rupibus olim.

Me non te pulchram censuit esse Paris.

Hista tua est, ensisq; tuus. mihi uendico malum.

Mars modo sit malo pristinus ille satis.

Vitam

## VITAM HOMINIS

ESSE NIHIL.

Nos tenuem strictis spirantes aëra fibris,  
 Viuimus & Phœbi lampada conspicimus.  
 Quotquot viuimus hic sumus omnes organa, quæ  
 Viuificis animat flatibus aura leuis,  
 Quot tua si tenuem restringat palma uaporem  
 Eripiens animam miseris usq; stygem.  
 Sic sumus ergo nihil. Plutoni pascimur omnes,  
 E flatu minimo nos leuis aura fouet.

## IN PVGIONEM EBETEM

EBETIS. È GRAECO.

Plumbeus hic mucro tuus est obtusus, ebesq;  
 Mucro aciem ingenij fert tuus iste tui.

## DE GLORIA ET PO-

PVLI IVDICIO.

Maxima pars hominum fama sibi plaudit inani,  
 Atq; leuis uento fertur in astra leui.  
 Quid populi tibi uoce places, sæpe optima cæcus,  
 Dat uicio. & temere deteriora probat.  
 Sollicitus pendes alieno semper ab ore.  
 Ne laudem cerdo quam dedit, eripiat.  
 Fors tamen irridet quo tu laudante superbis.  
 Ex animo laudet: laus tamen illa fugit.  
 Quid tibi fama facit? toto lauderis ab orbe,  
 Articulus doleat, quid tibi fama facit?

Ridiculum

## RIDICULVM IN MINISTRVM.

Muscas è cratere tulit coniuia priusquam  
 Ipse babit, reddit rursus, ut ipse babit.  
 Addidit & causam muscas ego non amo dixit,  
 Sed tamen è uobis nescio num quis amet.

## DE CANE VENANTE.

Os canis implet anas alium capturus hiabat,  
 Non capit, at quam iam ceperat ore fugit.  
 Sic miser interea dum rem captas alienam,  
 Sæpius & merito perdis auare tuam.

## CANIS IN PRAESEPI,

## AVARVS HOMO.

In præsepe canis foeno nec uescitur ipse,  
 Nec sinit ut scenum qui cupit edat equus.  
 Seruat auarus opes, opibus non uititur ipse,  
 Atque alios uti qui cupiunt, prohibet.

## IN ORESTEM PARANTEM

## OCCIDERE MATREM.

Quâ gladium intrudes per uentre mne an' ne papillas?  
 Te peperit uenter, te lactauere papillæ.

## QVID PAVCIS ORAN-

## DVS DEVS.

Da bona siue rogere deus, seu nulla rogere,  
 Et procul à nobis mala quæcꝫ petentibus aufer,  
 Et mala siue petare nega, seu nulla petare.

E In

IN DIGAMOS. È GRAECO.

Qui capit uxorem defuncta uxore secundam,  
Naufragus in tumido bis natat ille freto.

IN FATVM. È GRAECO.

Si ferris ferre & fer. sin irasceris, & te

Læseris, & quod fert te feret, immo trahet.

DE SOMNO AEQVANTE PAV  
PEREM CVM DIVITE.

Somne quies uitæ spes & solamen egenis,  
Diuitibus noctu, quos facis esse pares.

Tristia demulcens lethæo pectora rore,  
Excutis & sensum totius inde mali.

Læta benignus opes inopi per somnia mittis.  
Quid falsas rides diues opes inopis?

Diuitibus uere curas, tormenta, dolores,  
Pauperibus false gaudia uera ferunt.

IN DEFORMEM ET IMPROBVM. È GRAECO

Pingere difficile est animum, depingere corpus,  
Hoc facile est, in te sunt tamen ambo securi.

Nam prauos animi mores natura reuelans,  
Fecit ut emineant undiq; perspicui.

Sed formæ portenta tuæ deformia membra  
Quis pingat: quando hæc cernere nemo uelit?

IN CAPPADOCEM VIRVLEN/  
TVM. È GRAECO.

Vippera Cappadocē mordens mala protinus hausto,  
Tabifico periit sanguine Cappadocis.

In statuam

IN STATVAM FERREAM. È GRAECO.

Effigiem statuere tibi rex perditor orbis

Ex ferro, ut longe uilius ære foret.

Hoc fecere fames, cædes, furor æris, egestas,

Hæc tua, quis omnes perdit avaritia.

VERSUS IAMBICI DIMETRI BRACHY-

CATALECTICI AD CANDI-

DVM, QVALIS VXOR

DELIGENDA.

Iam tempus id petit

Monetq; Candide,

Vagis amoribus

Tandem renuncies,

Tandemq; desinas

Incerta Cypridis

Sequi cubilia.

Quæ rasq; uirginem,

Quam rite iam tibi

Concorde uincias

Amore coniugem,

Quæ iam genus tuum,

Quo nil beatius,

Fœcunda dulcibus

Natis adaugeat,

Pater tibi tuus

Hoc ante præsttit

Quod à prioribus

Prius receperis

Non absq; fœnore

Repende posteris.

Non sit tibi tamen

Hæc cura maxima

Spectare Candide

Quid dotis afferat,

Quam sit ue candida,

Infirmus est amor,

Quem stultus impetus

Decore concitus

Parit, uel improbus

Ardor pecuniæ.

Quicunq; amauerit

Propter pecuniam

Amatur huic nihil

E 2 Præter

Prætet pecuniam.  
 Capta pecunia  
 Vanescit ilico,  
 Item fugax amor,  
 Feréq; iam prius  
 Perit quām nascitur.  
 At nec pecunia,  
 Quam auarus antea  
 Miser cupuerat,  
 Iuuare postea  
 Quicquām potest, ubi  
 Quam non amauerit  
 Inuitus, attamen  
 Omnino cogitur  
 Tenere coniugem.  
 Quid forma, nunqd hæc  
 Vel febre decidit?  
 Anniue deperit?  
 Ut sole flosculus  
 Tum defluentibus  
 Genæ coloribus.  
 Amor ligauerant  
 Quem hæc sola uincula  
 Solutus aufugit.  
 At uerus est amor,  
 Quem mente perspicax,

Ratione consule  
 Prudens iniuerit,  
 Et quem bono omine  
 Virtutis inclytæ,  
 Quæ certa permanens  
 Non febre decidit,  
 Annis ue deperit,  
 Respectus efficit.  
 Primum ergo quam uoles  
 Amice ducere.  
 Quibus parentibus  
 Sit orta perspice.  
 Ut mater optimis  
 Sit culta moribus,  
 Cuius tenellula  
 Mores puellula  
 Insugat, exprimat.  
 Tum qua sit indole,  
 Quam ducis, hoc uide.  
 Ut ore uirginis  
 Insit serenitas,  
 Ab ore uirginis  
 Absitq; toruitas.  
 At rursus ut tamen  
 Sit in genis pudor,  
 Nec ore uirginis

Insit

Insit procacitas,  
 Et sit quieta, nec  
 Cingat salacibus  
 Viros lacertulis,  
 Vultu modesta sit,  
 Nec spectet undiq;  
 Vagis ocellulis.  
Proculq; stulta sit  
 Paruis labellulis  
 Semper loquacitas,  
Proculq; rusticum  
Semper silentium.  
 Sit illa uel modo  
 Instructa literis,  
 Vel talis ut modo  
 Sit apta literis.  
 Felix, quibus bene  
 Priscis ab optimis  
 Possit libellulis  
 Vitam beantia  
 Haurire dogmata.  
 Armata, cum quibus  
 Nec illa prosperis  
 Superba turgeat,  
 Nec illa turbidis  
 Misella lugeat

Prostrata casibus  
 Iucunda sic erit  
 Semper, nec unquam erit  
 Grauis, molestiae  
 Vitæ comes tuæ.  
 Quæ docta paruulos,  
 Docebit & tuos  
 Cum lacte literas  
 Olim nepotulos.  
 Iam te iuuauerit  
 Viros relinquere,  
 Doctæq; coniugis  
 Sinu quiescere.  
 Dum grata te fouet,  
 Manuq; mobili.  
 Dum plectra personat,  
 Et uoce qua nec est  
 Progne sororculæ  
 Tuæ suauior.  
 Amœna cantilat,  
 Apollo quæ uelit  
 Audire carmina.  
 Iam te iuuauerit  
 Sermone blandulo  
 Docto tamen, dies  
 Noctesq; ducere.

Notare uerbula  
 Mellita maximis  
 Non absq; gratijs  
 Ab ore melleo  
 Semper fluentia,  
 Quibus cohercat.  
 Si quando te leuet  
 Inane gaudium,  
 Quibus leuauerit,  
 Si quando deprimat  
 Te mœror anxius  
 Certabit, in quibus  
 Summa eloquentia.  
 Iam cum omnium graui  
 Rerum scientia.  
 Talem olim ego putem,  
 Et uatis Orphei  
 Fuisse coniugem.  
 Nec unquam ab inferis  
 Curasset improbo  
 Labore fœminam  
 Referre rusticam,  
 Talemq; credimus  
 Nasonis indyltam,  
 Quæ uel patrem queat  
 Aequare carmine,

Fuisse filiam.  
 Talemq; suspicor  
 Qua nulla charior  
 Vinquam fuit patri,  
 Quo nemo doctior  
 Fuisse Tulliam.  
 Talisq; quæ tulit  
 Gracchos duos, fuit  
 Quæ quos tulit, bonis  
 Instruxit artibus.  
 Hoc profuit minus.  
 Magistra quam parens,  
 Quid prisca sœcula,  
 Tandem reuoluimus?  
 Vt cunq; rusticum,  
 Vnam tamen tenet  
 Nostrumq; uirginem  
 Tenet, sed unicam.  
 At sic ut unicam  
 Plerisq; præferat.  
 Cuiq; conferat  
 Ex hijs fuisse, quæ  
 Narrantur omnibus  
 Tot retro sœculis,  
 Quæ nunc & ultimam  
 Monet Britanniam

Perlata

Perlata penulis                    Quodcunq; habet, putat.  
 Fame uolucribus.                 Sic nunc me amet mea,  
 Laus atq; gloria                 Vt nil ego tibi  
 Orbis puellula                 Amice mentiar.  
 Totius unica,                    Cuicunq; gratiam  
 Ac non modo suæ                Formæ negauerit  
 Cassandra patriæ.              Natura uirgini.  
 Dic ergo Candide,               Certe licet siet  
 Si talis & tibi                 Carbone nigrior.  
 Puella nuberet,                 Foret tamen mihi hac  
 Quales ego tibi                 Virtutis indole  
 Supra recensui.                 Olore pulchrior.  
 Desit licet queas               Cuicunq; lubrica  
 Formam requirere.               Dotem negauerit.  
 Dotis ue quod parum           Fortuna uirgini  
 Lucrere conqueri,               Certe siet licet  
 Hic sermo uerus est,           Vel Iro egentior  
 Quæcunq; sit satis               Foret tamen mihi hac  
 Est bella quæ placet,           Virtutis indole  
 Nec quisq; habet magis,        Te Croese dition.  
 Quàm qui sibi satis

## RIDICULVM IN MINACEM.

Thrasonis uxorem Bubulcus rusticus  
 Absente eo uitiauerat,  
 Domum reuersus miles ut rem comperit,  
 Armatus & ferus insilit.

Tandem

Tandem assequutus solum in agris rusticum,  
 Heus clamat heus heus Furcifer.  
 Restat bubulus, saxaque in sinum legit.  
 Ille ense stricto clamitat,  
 Tu coniugem meam attigisti carnifex?  
 Respondit imperterritus,  
 Feci fateris, inquit. At ego omnes deos.  
 Deasque testor o scelus,  
 In pectus hunc ensim tibi capulo tenus,  
 Ni fassus essem abderem.

## DE MEDIOCRI TATE.

È GRAECO.

Agros ego haud porrectiores appeto  
 Non auream aut Gygis beatitudinem.  
 Quae sit satis sibi, uita sat eadem est mihi,  
 Illud nihil nimis, nimis mihi placet.

HECTOR MORIENS. È GRAECO.  
 Projicitote meum Danai post fata cadauer,  
 Nam metuunt lepores occisi membra leonis.

## IN STVLTVM POËTAM.

Scripserat Aeneam nulli pietate secundum,  
 Vates secundus nemini.  
 Quidam igitur regem dum uult laudare, Maronem  
 Pulchre æmulatus scilicet,  
 Hic hic est, inquit, princeps cui nemo secundus.  
 Haclaudie rex indignus est,

Ipse sed

Ipsé sed est uates dignissimus. ergo age deimus

Vtricq; laudem debita m.

Hic hic est igitur uates, cui nemo secundus,

Rex qui secundus nemini.

IN QVENDAM QVI SCRIPSERAT HY-  
MNOS DE DIVIS PARVM DOCTE,

TESTATUS IN PRAEFATIONE

SE EX TEMPORE SCRIP-

PSISSE, NEC SER-

VASSE LEGES

CARMINVM,

ET ARGVMEN-

TVM NON RECIPE-

RE ELOQVENTIAM.

Hic sacer Andreæ cunctos ex ordine fastos

Perstringit mira cum breuitate liber.

Ipsos quos cecinit superos dum scriberet omneis,

Credibile est uati consuluisse suo.

Nam subito scripsit, sed sic ut scribere posset

Quantumuis longo tempore non melius.

Eripia materia est, prisciçq; intactus ab ipsis

Seruatus fato est huic operi iste stilus,

Seçq; ad numeros non anxius obligat omnes,

Hoc quoq; non uitio, sed ratione facit.

Maiestas operis metro esse obnoxia non uult,

Nempe ibi libertas est, ubi spiritus est,

F Ipsa

Ipsa operis pietas indocto sufficit. At tu  
Castalio quisquis fonte bibisse soles,  
Singula si trutines, erit hinc tibi tanta uoluptas.  
Quanta tibi ex alio non fuit ante libro.

IN STRATOPHONTA PVGILEM  
IGNAVVM. È GRAECO.

Dux Ithacus, patria bis denos absfuit annos.  
Quum redijt, celeri cognitus usq; cani est.  
Te pugil o Stratophon, certantem quatuor horas,  
Et canis & populus dedidicere simul.  
Quin etiam speculum de te si consulis ipse.  
Iuratus Stratophon te Stratophonta neges.

IN PVGILEM IGNAVVM.  
È GRAECO.

Nesimus ecce pugil uatem consultat Olympum,  
An uentura sibi sera senecta foret.  
Fors rude donatus uiues ait ille, minatur  
Certanti gelidus sed tibi falce deus.

IN PARASITVM. È GRAECO.

Stare putas stadio Eutychides quum curreret, at quum  
Cureret ad coenam, nempe uolare putas.

IN BIBONEM. È GRAECO.

Serta, unguenta, meo ne gratificare sepulchro.  
Vina, focus, lapidi sumptus inanis erit.

Hec milti da uiuo, cineres miscere falerno,  
Nempe lutum facere est, non dare uina mihi.

In bibonem.

IN BIBONEM. È GRAECO.

E terra genitus, sub terram morte recondar,

Ergo lagenā mihi terrea, plena ueni.

IN MULIEREM FOEDAM.

È GRAECO.

Te speculum fallit, speculum nam Gellia uerum,

Si semel inspiceres, nunquam iterum inspiceres.

IN FOEDAM. È GRAECO.

Fugerit ad Parthos, uel ad Herculis usq; columnas.

Visa semel, positis uestibus, Antipatra.

IN FOEDAM. È GRAECO.

Qui miser uxorem deformem duxit, habebit

Vespere, iam accenso lumine, adhuc tenebras.

IN BARBA TANTVM PHILO-

SOPHVM. È GRAECO.

Si promissa facit sapientem barba, quid obstat

Barbatus possit quin Caper, esse Plato?

DE LICENTIA.

Ultra concessos indulta licentia fines

Prouehitur celeri, non reuocanda, gradu.

Si patiare pedem calcet tibi uespere coniunx,

Calcabit surgens haec tibi mane, caput.

EPITAPHIVM ABYNGDONII

CANTORIS.

Attrahat huc oculos, aures attraxerat olim.

Nobilis Henricus cantor Abyngdonius.

F 2 Vnus

Vnus erat, nuper mira qui uoce sonaret,  
 Organa qui scite tangeret, unus erat.  
 Vellensis primo templi decus, inde sacellum  
 Rex illo uoluit nobilitare suum.  
 Nunc illum Regi rapuit deus, intulit astris.  
 Ipsiſ ut noua sit gloria cælitibus.

## ALTERVM DE EODEM.

Hic iacet Henricus, semper pietatis amicus.  
 Nomen Abyngdon erat, si quis sua nomina quærat.  
 Vuellis hic ecclesia fuerat succendor in alma.  
 Regis & in bella cantor fuit ipse capella.  
 Millibus in mille cantor fuit optimus ille.  
 Præter & hæc ista, fuit optimus organista.  
 Nunc igitur Christe quoniam tibi seruūt iste  
 Semper in orbe soli, da sibi regna poli.

## IN IANVM HAEREDEM ABYNGDONII.

Scripsi elegum carmen, Iano me hærede rogante,  
 Quod tumulum Henrici signet Abyngdonij.  
 Displacet, & doctis bene displicuisse, at illi  
 Displacet hoc tantum si quid inest melius.  
 Non resonant isti uersus ait, illico sensi  
 Qualeis lactucas talia labra petant.  
 Ridendos ergo ridens effutio uersus.  
 Hos uorat applaudens Ianus utrāq; manu.  
 Hos tumulo insculpsit, sub eundem protinus obdi,  
 Atq; ijsdem dignus uersibus ipse legi.

Ante,

Ante, retrōq; bifrons Ianus deus omnia uidit.

Talpa, effrons uidet hic Ianus utrinq; nihil.

## AD AVLICVM.

Sæpe mihi iactas faciles ad principis aures

Liber, & arbitrio ludis ut ipse tuo.

Sic inter domitos sine noxa sæpe leones,

Luditur, ac noxæ non sine sæpe metu.

Infremit incerta crebra indignatio caussa.

Et subito mors est, qui modo ludus erat.

Tuta tibi non est, ut sit secura uoluptas

Magna tibi est, mihi sit dummodo certa, minor.

## IN TYNDALVM

## DEBITOREM.

Ante meos quām crediderā tibi Tyndale nummos,

Quum libuit, licuit te mihi sæpe frui.

At nunc si tibi me fors angulus offerat ullus,

Haud secus accuso, qui pauet angue, fugis.

Non fuit unq; animus mihi crede reposcere nummos

Non fuit, at ne te perdere cogar, erit.

Perdere te saluo nummos uolo, perdere utrunc;

Nolo, sat alterutrum sit perissle mihi.

Ergo tibi nummis, aut te mihi redde, retentis.

Aut tu cum nummis te mihi redde meis.

Quod tibi si neutrum placeat, nummi mihi saltem

Fac redeant, at tu non rediture, Vale.

THOMAE MORI  
IN MENDICVM GERENTEM  
SE PRO MEDICO.

Tu te fers medicum, nos te plus esse fatemur.  
Vna tibi plus est litera, quam medico.

IN VXOREM IMPUDICAM,  
Est fœcunda mei fœcunda est uxor Arati,  
Nempe suo genuit ter sine fœta uiro.

IN PERPVSILLVM. È GRAECO.  
Ut fugeret miserae Diophantus tedia uitæ,  
Vsus Arachneo est stamine, pro laqueo.

DE PVELLA QVAE RAPTUREM FINXIT.

Conspiceret solam iuuenis cum forte puellam,  
Et sibi oportunum crederet esse locum,  
Improbis inuitam cupidis amplectitur ulnis,  
Basiacq; & plusquam basia ferre parat.  
Illa reluctata est, legemq; irata minatur.

Qua miser effuso sanguine raptor, obit.  
Instetit ille tamen iuuenili ardore proterius,  
Nunc precibus satagit, nunc superare metu.  
Non precibus, non illa metu superata, reclamat,  
Calce petit, mordet dente, manuicq; ferit.  
Ira subit iuuenem iam penè libidine maior,  
Et ferus o demens siccine pergis, ait,  
Per tibi ego hunc ensem iuro, simul extulit ensem,  
Commoda ni iaceas, ac taceas, abeo.

Ilico

Illico succubuit tam tristī territa uerbo.

Atq; age, sed quod agis, ui tamen, inquit, agis.

## IN CHRY SALVM.

Chrysalus in syluis loculos quum conderet, hæsit.

Certa loci possent, quæ sibi signa capi.

At super ut summa raucum uidet arbore coruum,

Hic mihi conspicua est, inquit, abitq; nota

Capti sola scopi redeuntem copia lusit,

Nam sua iam in quauis arbore signa uidet.

## IN ASTROLOGVM.

Dum tua quos noster celebrat pro uatibus error,

Fata ciente positu syderis Astrologi,

Hæc dum stella fauet, dumq; hæc tibi stella minatur,

Pendula mens inter spemq; metumq; tua est.

Prospera seu uenient, uenient reticentibus illis,

Assolet & subitum latius esse bonum.

Seu uenient aduersa, diu nescire iuuabit.

Vsura & medijs temporis usq; frui.

Quin iubeo fatis etiam prohibentibus ipsis

Factibi mens hilares transfigat æqua dies.

## IN CRVCE DIGNVM. È GRAECO.

Mastauron elementa tibi duo subtrahe prima,

Nemo te reliquis dignior esse potest.

## EPITAPHIVM. È GRAECO.

Quatuor hic tumulus fratres complectitur, ex his

Prohdolor una duos lux parit, ac perimit.

Egræco.

Fortis erat bello Timocritus , hic iacet ergo.

Fortibus haud parcis Mars ferè, sed timidis,

E GRAECO.

Ista Neoclidae gnatos habet urna gemellos  
Seruitio hic patriam liberat, hic uitio.

AD QVENDAM CVI Vxor

MALA DOMI.

Vxor amice tibi est semper mala, quum male tractas

Fit peior, sed fit pessima, quando bene.

Sed bona si moriatur erit, melior tamen id si

Te faciat uiuo, ast optima si propere.

DE NAVTIS EIICIENTIBVS MONA-

CHVM IN TEMPESTATE, CVI

FVERANT CONFESSI.

Cum tumida horrisonis insurgeret unda procellis,

Et maris in lassam ferueret ira ratem,

Relligio tumidis illabitur anxia nautis,

Heu parat exclamant hoc mala uita malum.

Vectores inter Monachus fuit, huius in aurem

Se properant uitijs exonerare suis.

Ast ubi senserunt nihilo sibi mitius æquor,

Sed rapido puppim uix superesse freto.

Quid miri est ait unus, aqua si uix ratis extat,

Nostrorum scelerum pondere adhuc premitur.

Quin

Quin monachū hūc, in quē culpas exhausimus om̄eis,  
Ejcite, & secum hinc crimina nostra ferat.  
Dicta probant, rapiuntq; uirū, simul in mare torquēt.  
Et lintrem leuius quam prius iſſe ferunt.  
Hinc hinc quam grauis est peccati sarcina, disce,  
Cuius non potuit pondera ferre ratis.

## AD CANDIDVM, PAROCHVM

## VITAE IMPROBÆ.

Factus es o populi pastor mi Candide magni,  
Ter tibi, terq; tuo gratulor ergo gregi.  
Aut mihi iudicium minuit fauor, aut tuus usquam  
Non potuit tales grex habuisse patrem.  
Non tibi uanarum est fastosa scientia rerum,  
Quippe nec in populum est utilis illa tuum.  
At raræ tibi sunt uirtutes, sic tibi raros  
Patribus ex priscis credo fuisse pares.  
Quid faciant, fugiant ue tui, quo cernere possint.  
Vita potestclaro pro speculo esse tua.  
Tantum opus admonitu est, ut te intueantur, & ut tu  
Quæ facis, hæc fugiant, quæ fugis, hæc faciant.

È GRAECO.

Naufragus hac situs est, iacet illa rusticus urna.  
Ad styga siue solo par uia, siue salo.

## IN POSTHVMVM EPISCOPVM.

Præsul es, & merito præfectus Posthume sacris,  
Quo magis in toto non erat orbe sacer.

G Gaudeo

Gaudeo tam magnum, tam sanctum gaudeo manus.  
 Tandem non temere nunc uelut ante dari.  
 Nempe errare solet temerarius impetus, at te  
 Delectum magna sedulitate patet.  
 Namq; ubi de multis tantummodo sumitur unus,  
 Sæpe malus casu, pessimus arte uenit.  
 At te, de multis legitur si millibus unus,  
 Stultior haud possit, deterior tamen legi.

## DE BOLLANO.

Vrticis lectum Bollano urentibus omnem:  
 Insterunt socij, quum cubitus erat.  
 Se tamen urticis ustum negat, haud negat illas  
 In tenebris nudum se reperisse tamen.  
 Vngibus aut, igitur uitata carne necesse est,  
 Aut nudis tantum dentibus inciderint.  
 Cum tamen in tenebris illæsus repperit herbas,  
 Vrticas qua nam repperit esse nota.

DE VVLPE AEGROTA ET  
LEONE APOLOGVS.

Dum iacet angusta uulpes ægrota cauerna;  
 Ante fores blando constituit ore Leo.  
 Ecquid amica uales? cito me lambente ualebis,  
 Nescis in lingua uis mihi quanta mea.  
 Lingua tibi medica est, uulpes ait, at nocet illud  
 Vicinos quod habet tam bona lingua malos.  
 De leone

## DE LEONE ET LYSIMACHO.

Dum domitus placido Leo lamberet ore magistrum,

Prouocat exemplo quemlibet ipse suo.

Cumq[ue] diu ex tanta prodiret nemo corona,

Prosilij fortí pectore Lysimachus.

Ipse ait, audebo leoninam tangere linguam,

Sed tam uicinis dentibus haud faciam.

## IN FABIANVM ASTROLOGVM.

Vno multa die de rebus fata futuris,

Credula quum de te turba frequenter emat,

Inter multa unum si fors mendacia uerum est,

Illico uis uatem te Fabiane putem.

At tu de rebus semper mentire futuris.

Si potes hoc, uatem te Fabiane putem.

## IN IACOBVM REGEM

## SCOTORVM.

Dum pius Henricus uictribus asserit armis

Romano te iterum Gallia pontifici,

Scotorum Iacobus regnum rex ecce Britannum

Occupat, infestis impius agminibus.

Fœdera non illum toties iurata morantur,

Coniugis in fratrem quin ferat arma suæ.

Quin Gallo fidei comitem se adiungeret hosti,

Quin cuperet Petri mergere nauiculam.

Nec mirum est, scelera hæc si uir conceperit, infans

Cæde patris teneras imbuit ante manus.

G 2 Ergo

Ergo uolente Deo, perit cum strage suorum.

Exitus & scelerum qui solet esse, fuit.

IN REGEM SCOTIAE, QVI ARCEM NOR  
HAMAM PRODITAM SIBI TAMEN  
OPPVGNAVIT, DISSIMVLANS  
PRODITAM ESSE.

Scote quid oppugnas Norhamam uiribus arcem?

Ante tibi falsa proditione datam.

An fraudis pudet? at tam multis, & tot apertis

In uitis non est illa pudenda tuis.

Artibus ergo malis capta fuit arce, uoluptas

Magna tibi forsan, sed breuis illa fuit.

Tecum, tuisque mala (merita sed) morte peremptis,

Arx intra est paucos capta, recepta dies.

Proditor in te tuo peteret cum præmia regno,

Mors sceleri est merces reddita digna suo.

Proditor ut pereat, pereat cui proditur hostis.

Inuicta in fatis arx habet ista suis.

EPITAPHIVM IACOBI RE  
GIS SCOTORVM.

Scotorum Iacobus princeps, regno hostis amico

Fortis & infelix hac ego condor humo.

Quanta animi fuerat, fidei uis tanta fuisset.

Cætera contigerant non inhonesta mihi.

Sed pudet heu iactare, queri piget, ergo tacebo.

Garrulaque o utinam fama tacere uelis.

Vos

Vos tamen o reges moneo, rex nuper & ipse,  
Ne sit (ut esse solet) nomen inane fides.

## IN MALVM PICTOREM.

Exprimit egregia pictor mirabilis arte,  
Dira canis pauitans ut fugit ora lepus.  
Intima naturae scrutatus uiscera singit,  
In cursu leporem retro metu aspicere.  
Tam bene qui leporem fugientem expresserit, opto  
Sit lepus, & fugiens ipse retro aspiciat.

## IN EVNDEM.

Cum cane sic pictus lepus est, ut dicere nemo  
Effet uter ue canis posset, uter ue lepus.  
Pictor ubi hoc didicit, quod inertis defuit arti,  
Suppleuit miro callidus ingenio.  
Res ut aperta foret, longeque facesseret error,  
Subscriptis tantum, est hic canis, iste lepus.

## DE TYNDARO.

Non minimo insignem naso dum forte puellam  
Basiat, en uoluit Tyndarus esse dicax.  
Frustra ait ergo tuis mea profero labra labellis,  
Nostra procul nasus distinet ora tuus.  
Protinus erubuit, tacitaque incanduit ira,  
Nempe parum salso tacta puella sale,  
Nasus ab ore meus tua si tenet oscula, dixit,  
Qua nasus non est hac dare parte potes.

G 3 In Brixii

(3)

THOMAE MORI  
 IN BRIXIVM GERMANVM FALSA SCRIBENTEM DE CHORDIGERA, NAVE  
 GALLORVM, ET HERVEO  
 EIVS DVCE.

Heruea dum celebras Brixii tua carmina damnas.  
 Nam tibi scripta mala est res bene gesta, fide.  
 Historiam spondes illa Germane poesi.  
 Quæ modo quum non sit uera, nec historia est.  
 Aut odio incipiunt, aut indulgere fauori,  
 Et quisnam historijs qui modo credit, erit?  
 Iamq; nec ipse tuus per te laudem Herueus ullam  
 Sublata rerum possit habere fide.

IN EVNDEM. DE EODEM HERVEO,  
 ET EADEM NAVE, QVAE IN  
 PVGNA NAVALI CON  
 FLAGRAVIT.

Brixius immerita quod sustulit Heruea laude,  
 Quod merito aduersum fraudat honore ducem.  
 Quod de Chordigera mendacia mille carina,  
 Contra quam sese res habuere canat.  
 Non equidem miror, neq; prauo falsa fauore,  
 Quod uoluit prudens scribere, credo tamen.  
 Sed de Chordigera, uatem qui uera doceret,  
 Qui uit adhuc reducem nemo referre pedem.  
 Ipse tamen (sciret quo certius omnia) dignus,  
 Qui media præsens nauem fuisset, erat,

Versus

VERSUS EXCERPTI È CHORDIGERA  
BRIXII, AD QVOS ALLVDVNT  
QVAEDAM EPIGRAMMA.

## TA SEQVENTIA.

Circumeunt unum dextra, leuaç Britanni  
Heruea, tela uolant brumali grandine plura  
In caput unius Heruei, quæ fortiter heros  
Excutiens clypeo, contraria in agmina uertit.

## POSTEA DE EADEM CHORDIGERA.

Ipse suos Herueus comites hortatur, & instat,  
Atç inter primos audax magno impete in hostes  
Inuehitur, ferit hos missio per tempora telo.  
Transigit huic gladio costas, huic ilia nudat.  
Decutit his caput, impacta per colla bipenni.  
His latus, his humeros hasta perstringit acuta.

## EPIGRAMMA MORI, ALLVDENS

## AD VERSVS SVPERIORES.

Quod ferit hos Herueus missio per tempora telo,  
Iliaç & costas transigit huic gladio.  
Decutit his caput impacta per colla bipenni.  
His humeros hasta perforat, atç latus.  
Tum clypeo aduersa quod tela uolantia parte  
Fortiter excutiens unde uolant, regerit.  
Effugit hoc sensum, tot telis pugnet ut unus,  
Isç cui clypeo est altera onusta manus.

Fortis

Fortis huic pugnæ rerum natura repugnat,

Præteritum quiddam est hac puto parte tibi.

Namq; ubi magnanimum produxeris Heruea, telis

Pugnantem pariter quatuor, det clypeo.

Forte tibi exciderat, sed debuit ante moneri

Lector, tunc Herueo quinq; fuisse manus.

ALIVD DE EODEM.

Miraris clypeum, gladium, hastam, tela, bipennem,

Herueus quoq; gerat belligeretq; modo.

Dexteræ crudeli manus est armata bipenni,

Instructa est gladio sœua sinistra suo.

Iam telum, reliq; uicem quæ præbeat, hastam

Fortiter (impressis dentibus) ore tenet.

At quia tela caput brumali grandine plura

Inuolitant, clypeum collocat in capite.

Duritia capitis draco cesserit, ungue Celeno,

Sic elephas illi dentibus impar erat.

Ergo nouum aduersos monstrum procurrit in hostes,

Terribilis rictu, terribilisq; manu.

HIC PRIMVS VERSVS BRIXII EST, QVO

HERVEA IAM MORITVRVM DE

SE FACIT VATICINANTEM.

Inter Phœbeos non aspernandus alumnos

Heruei magna canit Brixius acta ducis.

Inter Phœbeos non aspernandus alumnos,

Herueum, hostes, socios, concremat atq; rates.

Inter

Inter Phœbeos non aspernandus alumnos,

Vnde igitur uates, quæ cecinit, dидicis?

Inter Phœbeos non aspernandus alumnos,

Phœbeo reliquum est audiat ex tripode.

IN EVNDEM, VERSVS POËTA

RVM SVFFVRANTE.

Priscos poetas nemo te colit magis,

Legit ue diligentius.

Nam nemo priscis è poetis omnibus

Est, cuius ipse ex uersibus,

Non hinc & inde flosculos, & gemmulas

Manu capaci legeris.

Vatem redonans tanto honore protinus,

Scriptis tuis ut inseras.

Beasq; uatem, nempe quæ tu congeris,

Suos parentes indicant,

Magisq; resplendent tua inter carmina,

Quam nocte lucent sydera.

Tantum decus uati inuidere nemini

Soles, amicus omnium,

Ne quis, decus prioris olim sæculi,

Neglectus abs te defleat.

Ergo sacrati ne poetarum modi

Longo situ obsolescerent,

Inuria tu uindicatos temporis

Nouo nitore percolis.

H. Hoest

Hoc est uetus arte nouitatem dare,  
 Quare nihil felicius.  
 Ars o beata, quisquis arte isthac tamen  
 Vetusta nouitatē dabit,  
 Is arte nulla (quamlibet sudet diu)  
 Nouis uetus statem dabit.

ALLVSIO AD CENOTAP  
 PHIVM HERVEI.

Heruea cum Decijs unum conferre duobus,  
 Aetas te Bixi iudice nostra potest.  
 Sed tamen hoc distant, illi quod sponte peribant,  
 Hic perīt, quoniam non potuit fugere.

PHOEBS BRIXIVM ALLOQUITVR.

Vis de grandisono quid sentio scire libello,  
 Qui arma, necemq; Heruei bellipotentis habet.  
 Ergo sacer Phœbo sacra hæc oracula uates  
 Accipe Phœbeo reddita de tripode.  
 Vna opere in toto deest syllaba, mille supersunt.  
 Plenū opus est, nam quid posset abesse minus?  
 Vna uno hæc legitur, sed non legitur tibi mense,  
 Mens. Et plus quam medium syllaba mensis habet.

AD SABINV M, CVI VXOR

ABSENTI CONCEPIT.

Subsidium uitæ, seræ spes una senectæ,  
 Nata tibi est soboles, curre Sabine domum.  
 Curre,

Curre, salutanda est uxor fœcunda, uidenda est.

Chara tibi soboles, curre Sabine domum.

Curre inquam, ac propera, nūmīumq; uidebere lentus,

Quantumuis properes, curre Sabine domum.

Iam queritur coniunx de te tua, iam tua de te.

Conqueritur soboles, curre Sabine domum.

Nunquām ingratus ades, neq; cū soboles tibi nata est,

Sed neq; cum genita est, curre Sabine domum.

Curre, ut adesse, puer sacro dum fonte lauatur,

Nunc saltem possis, curre Sabine domum.

AD CANDIDVM, LAVDANTEM SAN-

CTOS VIROS, CVM IPSE

ESSET MALVS.

Sæpe bonos laudas, imitaris Candide nunquām.

Laudo, inquis, posita Candidus inuidia.

Nam quicunq; bonos imitatur, & æmulus idem est,

O lacte, o niuibus Candide candidior.

QVIS OPTIMVS REIPVB. STATVS.

Quæris uter melius, Rex ne imperet, an ue Senatus,

Neuter (quod sæpe est) si sit uterq; malus.

Sin sit uterq; bonus, numero præstare Senatum,

Inq; bonis multis plus reor esse boni.

Difficile est numerum forsan reperire bonorum,

Sic facile est unum sæpius esse malum.

Et fuerit medius sæpe inter utrumq; Senatus,

Sed tibi uix unquām Rex mediocris erit.

H 2 Consilioq;

Consilioq; malus regitur meliore Senator,

Rex consultores sed regit ipse suos.

Alter ut eligitur populo, sic nascitur alter.

Sors hic cæca regit, certum ibi consilium.

Illeq; se factum populo, populum sibi factum

Scilicet hic ut sint quos regat ipse putat.

Rex est in primo semper blandissimus anno,

Omni anno consul rex erit ergo nouus.

Rex cupidus longo populum corroserit æuo-

Si consul malus est, spes melioris adest.

Nec me nota mouet quæ pastam fabula muscam:

Ferre iubet, subeat ne male pransa locum.

Fallitur expleri regem qui credit avarum,

Nunquam hæc non uacuam mittet hirudo cutē.

At patrum consulta grauis dissensio turbat,

Regi dissentit nemo, malum hoc grauius.

Nam quum de magnis uaria est sententia rebus,

Quæstio sed tamen hæc nascitur unde tibi?

Est ne usquam populus, cui regem siue Senatum

Præficere arbitrio tu potes ipse tuo?

Si potes hoc, regnas. nec iam cui, consule, tradas

Imperium. prior est quæstio, an expediat.

#### DE FVSCO POTORE.

Potando medicus perituros dixit ocellos

Fusco, qui cum se consuluisseisset, ait,

Perdere

Perdere dulciss est potando, quam ut mea seruem  
Erodenda pigris lumina uermiculis.

## AD AMICVM.

Litera nostra tuis quantum mihi colligo scriptis,  
Sera tibi ueniet, nec tibi sera tamen.  
Nec bello ueniunt intempestiu peracto,  
Quæ bello poterant tela iuuare nihil.

## DE REGE ET RVSTICO.

Rusticus in sylvis nutritus uenit in urbem.  
Rusticior Fauno, rusticior Satyro.  
En populus plena stetit hinc, stetit inde platea,  
Vnaq; uox tota, Rex uenit, urbe fuit.  
Rusticus insolita uocis nouitate mouetur,  
Quidnam ita respectet turba, uidere cupit.  
Rex subito inuehitur, celebri præente caterua,  
Aureus excelsō conspiciendus equo.  
Tum uero ingeminant, uiuat rex, undiq; regem  
Attonito populus suspicit ore suum.  
Rusticus, o ubi rex? ubi rex est? clamat, at unus,  
Ille, ait, est illo qui sedet altus equo.  
Hiccine rex? puto me derides, rusticus inquit.  
Ille mihi pœta ueste uidetur homo.

IN EPISCOPVM ILLITERATVM, DE  
QVO ANTE EPIGRAMMA EST  
SVB NOMINE POSTHUMI.

Magne pater clamas, occidit litera, in ore

H 3 Hoc unum

Hoc unum, occidit littera semper habes.  
 Cauisti bene tu, ne te ulla occidere possit  
 Littera, non ulla est littera nota tibi.  
 Nec frustra metuis ne occidat littera, scis non  
 Viuificet qui te spiritus esse tibi.

DE SACERDOTE RIDICULE ADMONENT  
 TE POPVLVM DE IEIVNIO, CVM  
 DIES IAM PRAETERISSET.

Admonuit populum noster cum forte sacerdos,  
 Proxima quos fastos afferat hebdomada,  
 Martyris Andreæ magnum & memorabile festū est,  
 Scitis, ait, charus quām fuit ille deo.  
 Squalida lasciuam macerent ieunia carnem.  
 Hoc suetum est, sancti hoc instituere patres.  
 Præmoneo ergo omneis, in martyris huius honorem,  
 Quod ieunari debuit, inquit, heri.

DE QVODAM MALE CANTANTE.  
 ET BENE LEGENTE.

Tam male cantasti, possis ut episcopus esse.  
 Tam bene legisti, ut non tamen esse queas.  
 Non satis esse puto, si quis uitabit utrumuis.  
 Sed fieri si uis præsul, utrumq; caue.

AD SABINV M.

Quos ante coniunx quattuor  
 Natos Sabine protulit  
 Multum ecce dissimiles tibi,

Tuos

Tuos nec ipse deputas.  
Sed quem tibi puerulum  
Enixa iam nuperrime est,  
Solum tibi simillimum  
Pro quatuor complecteris.  
Adulterinos quatuor  
Vocas, repellis, abdicas.  
Hunc unicum ceu γνίσιον,  
Qui sit tibi haeres, destinas.  
Hunc ergo in ulnis gestiens,  
Exosculandum ab omnibus  
Ut filium fert simia,  
Totam per urbem baiulas.  
Atqui graues tradunt Sophi,  
Quibus laboribz studiumqz id est,  
Secreta quicquid efficit  
Natura perscrutarier.  
Ergo graues tradunt Sophi,  
Quodcunqz matres interim  
Imaginantur fortiter,  
Dum liberis datur opera,  
Eius latenter & notas,  
Certas & indelebileis,  
Modoqz inexplicabili  
In semen ipsum congeri.  
Quibus receptis intime,

Simulqz

Simulqz con crescentibus  
 A mente matris insitam  
 Natus refert imaginem.  
 Quum tot abesses millibus,  
 Dum gignit uxor quatuor,  
 Quod eslet admodum tui  
 Secura, dissimiles parit.  
 Sed unus omnium hic puer  
 Tui refert imaginem,  
 Quod mater, hunc dum concipit,  
 Sollicita de te plurimum,  
 Te tota cogitauerat,  
 Dum pertimescit anxia,  
 Ne tu Sabine incommodus  
 Velutqz Lopus in fabulam  
 Superuenires interim.

DE PRINCIPE ET RVSTICO  
SELANDO, RIDICVLVM.

Quum spectaret aquas princeps, in ponte resedit,  
 Primo resqz suos ante stetere pedes,  
 Rusticus adsedit, modico tamen interuallo,  
 Ciuilemp dato se putat esse loco.  
 Suscitat hunc quidam, & cum principe, dixit, eodem  
 Ponte sedere audes rustice? non ne pudet?  
 Ille refert, scelus est in eodem ponte sedere?  
 Quid si pons longus millia dena foret?

De Aulico

## DE AVLICO RIDICVLVM.

Quum descendit equo de circumstantibus uni

Aulicus hunc teneas quisquis es inquit equum.

Ille ut erat pauidus dixit, domine ergo ferocem,

Hunc rogo qui teneat sufficit unus equum?

Vnus ait potis est retinere, subintulit ille.

Si potis est unus, tu potes ipse tuum.

## IN MILITEM FVGACEM

## ET ANVLATVM.

Aureus iste manus miles cur annulus ornat

Iure tuos ornet qui meliore pedes;

Vtilior nuper, meliorq; in Marte feroci

Planta tibi palmis una duabus erat.

## IN BRIXIVM POETAM.

Brixii tale tuo natum est ænigma libello

À Sphinge opponi possit ut Oedipodi.

Cordigera est tibi tota frequens, tibi nō tamē usq; est.

Cordigeræ in toto syllaba prima libro.

Cor.

## IN TVSCVM POTOREM.

Perdis ait Tusco Medicus tua lumina uino,

Consultat secum quid uelit ergo sequi.

Sydera, terra, fretumq; solent quecunq; uideri,

Omnia sunt inquit uisa reuisa mihi.

Multa mihi sed uina tamen gustanda supersunt,

Multa refert annus quum noua musta nouus.

I Iam

Iam certus, firmusq; ualebitis inquit ocelli  
Nempe satis uidi, non satis usq; bibi.

## IN ARNUM PERIVRVM.

Iurasti satis Arne diu, tandem obtinuisti,  
Iurare ut posthac iam tibi non sit opus.  
Cœpit ubiq; tuo uir iuratissime uerbo  
Quam iuramento non minor esse fides.

## IN EVNDEM.

Te semper iuras, & cunctis Arne minaris,  
Vis scire utilitas quæ uenit inde tibi.  
Sic iuras, ut nemo tibi iam deniq; credat,  
Sic minitaris, ut has nemo minas metuat.

## IN EVNDEM.

Arno nemo magis pedibus ualet usq;, sed olim  
Frigore contractas perdidit ille manus.  
Optat bella tamen, cui pes citus, utraq; manca est  
Cui manus, in bello, scis puto quid faciet.  
At cui lingua procax, manus est ignaua, procax est  
Huic non ignaua lingua secunda manu.

## DE MARVLO.

Admonuit Medicus lippum Theodore Marullum  
Ne uinum (cæcus ni uelit esse) bibat.  
Pareat ut medico (quancq; ægre) abstemius esse  
Ecce duos totos sustinet usq; dies.  
Post, sicut assueti reuocatus imagine uini,  
Iam q; foras Medico uera minante ruit.

Ventum

Ventum erat ad uinum, quum sic sua lumina mœstus

Affatur, posito iam peritura mero.

Huc iter est, hic me fidi duxistis ocelli.

Hunc bibite, & dulces ambo ualete duces.

Gustus, odorq; manent, miratur abire colorem,

In nigras subeunt lumina dum tenebras.

Hoctamen aduersum lenit solamine casum,

Dote meri minima quod cariturus erat.

#### IN RISCVM EQVITEM

##### IMBELLEM.

Ricus eques prudens longoq; peritus ab usu

Dissimiles, causa non sine, pascit equos.

Nanq; alit ille duos, uolucrem præuerterit alter,

Alter sed pigro, pigrior est Asino,

Hic ergo non festinantem ad prælia defert,

Ille prius tuba q; clanxerit, inde refert.

#### IN GELLIAM.

Mentitur qui te dicit mea Gellia fuscam

Iudice me non es Gellia fusca, nigra es.

#### IA EANDEM.

Candida sum dicis, fateor, sed candida quum sis,

Cur tibi candorem hunc obtegit atra cutis?

#### IN EVPARYPHVM VESTE, OPPIGNE/

##### RATO FVNDO, EMPTA.

Non miror sudare tuae te pondere uestis,

I 2 Quatuor

Quatuor hæc terræ iugera uelis habet,  
 Quantum uiuenti tibi terræ ingesseris usq;  
 Tam magnum tumulū, nec tumulatus habet.

IN GAREMANVM VENDI/  
 TIS AGRIS PAV-  
 PEREM.

En patios nuper Garemanus uendidit agros,  
 Nunc subito fama uiuere fertur inops.  
 Non illi ingenium, non illi industria defit,  
 Verum inimica uiro fata nocere puto.  
 Nam putres fuluo glebas mutauerat auro  
 Callidus, & nunq; rem tamen ille facit.

AD SABINV M.

Interiere duæ, coniunx tibi tertia nupsit  
 Nec tibi fida tamen de tribus ulla fuit.  
 Non tantum ergo tuas, sed damnas improbe totum  
 Foemineum irata mente Sabine genus.  
 Si tamen hanc æqua rem uis expendere lance,  
 Fies erga ipsas mitior ipse tuas.  
 Nam tres quum fuerint ijsdem tibi moribus omnes,  
 Astra hæc nascenti fata dedere tibi.  
 Si genesis tua te semper iubet esse cucullum  
 Scilicet expectas uxor ut astra regat:  
 Casta futura alij fuerat, quod adultera tecum est  
 Hoc merito fatis imputat illa tuis.

In naufr

IN NAVFRAGVM MORSVM A  
VIPERA IN LITTORE,  
È GRAECO.

Aequoris insanas euasit naufragus undas,  
Tristius Afra salo præbet harena solum:  
Dum iacet ecce graui pressus prope littora somno.  
Nudus, & infesto fessus abusq; freto,  
Vipera trux perimit, frustra fugis æquora frustra.  
Heu miser, in terris debita fata tibi.

## DE CHIRVRGO ET ANV.

Vnxit anus ægros uelans chirurgus ocellos  
Vtile persuadens hoc fore quinq; dies.  
Interea mappas, pelues, mortaria, discos,  
Quicquid onus tutum non facit, inde rapit.  
Quum sanata oculos circumtulit illa reuinctos  
Instrumenta suæ sentit abesse domus.  
Mercedem ergo exacta, tua contingere inquit  
Vberior pactum est, ut mihi usus ope:  
At video nunc q; ante minus, quorum usus in æde est,  
Vidi multa prius, nunc video inde nihil.

## AD QVENDAM.

Quam tibi mens leuis est, tibi si pes tam leuis esset,  
In medio leporem posses præuertere campo.

## DE HEROДЕ ET HERODIАDE.

Coram Herode Herodiadis dum filia saltat  
Dum quo debuerat displicuisse placet,

Ebrius affectu rex coniugis, ebrius illo  
 Fortunæ luxu, prætereā q̄ mero.  
 Opta ait o uirgo, dabitur, iurauimus, huius  
 Dimidium regni poscere si libeat.  
 Impia suggestu sceleratæ filia matris,  
 Inquit, Baptista da precor ergo caput.  
 Dona petis uirgo (si saltatricula uirgo est)  
 Quæ uix sustineas cernere dona petis.  
 O funesta parens, o natæ dira nouerca,  
 Saltare, atq̄ homines quam iugulare, doces,  
 Rex dolet, & tristis concedit, nempe coactus  
 Iurisiurandi relligione sui.  
 O regem fidum, sed tunc tantummodo fidum,  
 Maius perfidia est quum scelus, ipsa fides.

## AD QVENDAM EBRIOSVM.

Tecum in colloquium quod non properantius iui  
 Segniciem incusas, conquererisq; meam,  
 Confiteor uere, tibi non in tempore ueni,  
 Serior, aut citior debuit hora legi.  
 Aut utinam eiusdem uenissem mane diei,  
 Aut tibi uenissem mane sequente die.  
 Nunc res luce nimis tractari cœpit adulta,  
 Quando tua factum est ebrietate nihil.

IN PICTVRAM HERODIANÆ MENSAE.  
 Sanguine funesta est Herodis mensa uirili,  
 Sanguine funesta est mensa q; Flaminij.

Tam

Tam similes cædes, similes fecere puellæ,  
 Illam saltatrix obtinet, hanc meretrix.  
 Id tamen intererat, meretrici uita nocentis,  
 At saltatrici penditur innocui.

## IN EANDEM PICTVRAM.

Ora uiri fœdo sancti fluitantia tabo,  
 Decussuīnq; gerit regia mensa caput.  
 Corpora sic regi rex Atreus ambo Thyesti  
 Natorum apposuit frater edenda patri:  
 Sic regi Odrysio natum regina petemptum  
 Fida soror, genitrix perfida ponit Itim,  
Talia regales ornant bellaria mensas.  
Crede mihi non est pauperis iste cibus.

## IN VEHEMENTER NASV-

## TVM È GRAECO.

Situus ad solem statuatur nasus, hiante  
 Ore, bene ostendas dentibus hora quota est.

## IN FVCATVM È GRAECO.

Quur emitur fucus, coma, dens, mel, cerāq; posset  
 Quum persona tibi tota minoris emi?

## IN HISTRIONEM È GRAECO.

Cætera ad historiam, quiddā tamen, id quoq; magnū  
 Iam tibi saltatum contra erat historiam.  
 Dum Nioben ageres, stabas tanq; lapis esles,  
 Quum fieres Canapeus ecce repente cadis.

At

At Canacem gladio referens, quum uiuus abiisti,  
Hoc tibi saltatum contra erat historiam.

IN HISTRIONEM È GRAECO.  
Saltauit Nioben, saltauit Daphnida Memphis  
Ligneus ut Daphnen, saxeus ut Nioben.

IN EBRIOS È GRAECO.  
Vespere quū bibimus homines sumus, atq; benigni.  
Mane homini siccus trux fera surgit homo.

IN ANDREAM IN MARE  
VOMENTEM.

Gratus es Andrea, dignusq; cui bene fiat  
Nam pisces toties qui te pauere, repascis.

DE EODEM.  
Aequoris edisti pisces, irascitur æquor.  
Ecq; tuo foetus exigit ore suos.

IN PVELLAM DIVARICATIS TIBI  
BIIS EQVITANTEM.

Ergo puella uiri quis te negat esse capacem,  
Quum tua tam magnum circūdāt crura caballum;

AD GALLVM SVBLEGENTEM VETERVM CARMINA.

Vatibus idem animusq; & uere spiritus idem,  
Qui fuit antiquis est modo Galle tibi.  
Carmina nanq; eadem, uersusq; frequenter eosdem  
Quos fecere illi, tu quoq; Galle facis.

De histrione

## IN SCVRAM PAVPEREM.

Scurr ubi iam fures totam sibi nocte uideret

Scrutanteis magna sedulitate domum,

Risit, & o media quid uos hic nocte uidentis

Miror ait, media nil ego cerno die.

## DE SOLICITA POTENTVM VITA.

Semper habet miserias immensa potentia curas,

Anxia perpetuis sollicitudinibus.

Non prodit, multis nisi circumseptus ab armis,

Non nisi gustato uescitur ante cibo.

Tutamenta quidem sunt haec, tamen haec male tutum

Illum, aliter tutus qui nequit esse, docent.

Nempe satellitium, metuendos admonet enses,

Toxica pragustans esse timenda docet.

Ergo timore locus quisnam uacat hic: ubi gignunt,

Haec eadem pellunt, quæ metuenda, metum.

## IN PRIVIGNVM COLLAPSA NOVERCAE

STATVA OPPRESSVM. È GRAECO.

Flore nouercalem cingis priuigne columnam,

Morte ratus mores interisse malos.

Te tamen illa premit subito inclinata, nouercæ

Si priuigne sapis, ipsa sepulchra fuge.

## AD QVENDAM POËTAM

## EX TEMPORALEM.

Hos quid te scripsisse mones ex tempore uersus?

Nam liber hoc loquitur, te reticente, tuus.

K In nouercas.

IN NOVERCAS. È GRAECO.

Priuigno uel amans infortunata nouerca est.

Hippolyto grauis, hoc Phædra docere potest.

IN QVENDAM QVI DICEBAT

CARMINIBVS SVIS NON

DEFVTVRVM GE-

NIVM.

Hoc habet Hispani festuum epigramma poëtæ,

Victurus Genium debet habere liber.

Dum legis hunc uersum, iam tu quoq; scribere uersus

Tota mente paras, sed sine mente tamen.

Quæ ue canas, qualí ué modo contemnis, ea est spes

Victoria hæc Genio qualiacunq; suo.

Namq; tuis Genium uir tam geniose Camœnisi,

Non dubitas aliquem mox alicunde fore.

Tu tamen (&amp; cariturus erit) tuus hic liber, opta

Ut careat Genio, qui caret ingenio.

Cui Genius uitam producat si quis, erit quis

Ex Genijs, adsunt qui tibi mille, malis.

Sed neq; sic uiuet, uati si credis eidem,

Nam non uiuere, sed uita ualere bene est.

Quod si uita libri est iugi languescere probro,

Detur &amp; æterna uiuere morte tibi.

## DE CUPIDITATE REGNANDI.

Regibus è multis regnum cui sufficit unus,

Vix Rex unus erit, si tamen unus erit.

Regibus

Regibus è multis regnum bene qui regat unum.

Vix tamen unus erit, si tamen unus erit.

DE DEDITIONE NERVIAE HENRICI  
CO VIII ANGLIAE REGI.

Belliger inuictam domuit te Nervia Cæsar,

Non tamen extremis absq; utriusq; malis.

Te capit Henricus, capit & sine sanguine, princeps

Magno tam maior Cæsare quam melior.

Sensit honorificum sibi Rex coepisse, tibiq;

Vtile sensisti non minus ipsa capi.

DE FABVLLA ET ATTALO.

Fabulla nuper nescio quid Attalo

Irata, & illum commouere gestiens,

Ostendereç quam prorsus hunc nihil putet.

Iurauit illi, si sibi centum forent

Membra, mulier quibus fit, è centum tamen

Præstare dignaretur haud unum Attalo.

Non inquit ille, quæ malum, est isthæc noua

Frugalitas tibi, quæ ue parsimonia?

Certe solebas esse liberalior.

Vnum ne de centum grauareris modo

Auara commodare, at aliquando unicum

Tantum quum haberes, unicum tamen, uiris

Centum solebas dare benigna centies.

Hei metuo ne quid ista portendat tibi

Monstrosa tandem parcitas, magni mali.

DE FEBRICITANTE ET  
MEDICO BIBACI.

Febre laboraret mihi quum puer Hemitritæo,  
 Forte ibi Sauromatæ posco medentis opem.  
 Sensit ut admoto salientem pollice uenam,  
 Fortis, ait, calor est, sed calor ille cadet.  
 Flagitat ergo cyphum, fundumq; exhaustus ad imum,  
 Quantum nec Bitias ebibitus erat.  
 Haurit, ad æqualeis ægrotum prouocat haustus.  
 Et facere hoc temere ne uideatur, ait,  
 Aestuat hic ualde, ualde bibat ergo necesse est.  
 Non paruo obruitur magna liquore pyra.

## DE HESPERO CONFIDENTE.

Ex more sacro dum sacerdoti Hesperus  
 Comissa fassus expiaret criminâ,  
 Explorat huius ille conscientiam,  
 Et cautus omne examinat scelerum genus,  
 Interq; multa querit, an unquam malos  
 Ritu prophano crediderat in dæmonas.  
 Vah ego ne credam in dæmones, inquit, pater?  
 Multo labore uix adhuc credo in Deum.

## DE OCCASIONE DEO. È GRAECO.

Vnde erat hic plastes? Sicyonius. at quis erat, dic.  
 Lycippus. tu quis? tempus ego omne domans.  
 Cur summis instas digitis? roto semper. at alas  
 Cur pedibus gestas? ut leuis aura feror.

At dextrâ

At dextram cur armat acuta nouacula? signum est,  
 Quod conferri acies non potis ulla mihi est.  
 Cur coma fronte iacet? quod qui me prendere captat?  
 Præueniat. caluum est cur tibi retro caput?  
 Quod postq; leuibus præceps effugero pennis,  
 Nil aget à tergo qui reuocare uolet.  
 Vnde igitur posses documentum sumere, talem  
 Artificis posuit me tibi docta manus.

DE PHYLLIDE ET PRISCO IM/  
 PARITER AMANTIBVS.

Clam Phyllis cupido bene nubet candida Prisco,  
 Quàm bene spumanti uitrea lympha mero.  
 Phyllida Priscus amat calido feruentius igne,  
 Frigidius gelida Priscus amatur aqua.  
 Iungetur tuto, nam si simul ardeat illa,  
 Sustineat flamas quæ domus una duas?

DE NVMMIS ANTIQVIS APVD  
 HIERONYMVVM BVSLIDIA.-  
 NVM SERVATIS.

Roma suis olim ducibus quàm debuit, illi  
 Tam debent omnes Buslidiane tibi.  
 Roma suis ducibus seruata est, ipse reseruas  
 Romanos Roma præmoriente duces.  
 Nam quæ Cæsareos antiqua nomismata uultus,  
 Aut referunt claros tum ue prius ue uiros,

K ; Hæc

Hæc tu sæclorum studio quæsita priorum  
 Congeris, & solas has tibi ducis opes.  
 Cunq; triumphaleis densus cinis occulat arcus,  
 Ipse triumphantum nomen, & ora tenes.  
 Nec iam Pyramides procerum monumenta suorum  
 Tam sunt, quam pyxis Buslidiane tua.

## AD EVNDEM.

Ecquid adhuc placidam mi Buslidiane Camcenam  
 Tua coërces capsula?  
 In tenebras abdis cur dignam luce, quid illi?  
 Quid inuides mortalibus?  
 Musæ fama tuæ toto debetur ab orbe.  
 Quid huic repellis gloriam?  
 Gratus ab hac fructus toti debetur & orbi  
 Quid unus obstas omnibus?  
 An tibi casta procul cœtu cohibenda uirili  
 Cohors uidetur uirginum?  
 Sunt hæc uirginibus fateor metuenda, sed illis  
 Deuirginari quæ queunt.  
 Aede tuam intrepidus, pudor est inflexilis illi.  
 Nec ille ruidis, aut rusticus.  
 Ut tua non ipsi cessura est uirgo Dianæ  
 Pudore grata lacteo,  
 Sic tua non ipsi cessura est uirgo Mincruæ  
 Sensu, lepore, gratia.

Ad Buslidianū

AD BVSLIDIANVM DE AEDIBVS  
MAGNIFICIS MECHLINIAE.

Culta modo fixis dum contemplabat ocellis,

Ornamenta tuæ Buslidiane domus,

Obstupui quonam exoratis carmine fatis

Tot rursus ueteres nactus es artifex?

Nam reor illustreis uafris ambagibus ædes,

Non nisi Dædaleas ædificasse manus.

Quod pictum est illic pinxitse uidetur Apelles,

Quod sculptum credas esse Myronis opus.

Plastica quum uideo Lysippi suspicor artem,

Quum statuas, doctum cogito Praxitelem,

Disticha, quod cęp notant opus, at quæ disticha uellet,

Si non composuit, composuisse Maro.

Organa tam uarias modulis imitantia uoces,

Sola tamen ueteres uel potuisse negem.

Ergo domus tota est, uel sædi nobile prisci;

Aut quod præsa nouum sæcula uincat opus.

At domus hæc noua nunc tarde, seroq; senescat

Tunc uideat dominum, nec tamen usq; senem.

DE PHILOMENO ET AGNA, CON-

IVGATIS MALA FIDE.

En redeunt nostro Veneris miracula sædo

Qualia nec prisco tempore facta reor.

Flos iuuenes inter Philomenus, & Agna puellas.

Iunguntur Paphiæ rite fauore Dex.

Ille sed heu nimium laudata uoce superbit,

Illa tumet placidi laudibus ingenij.

Ergo coniugium uotis tam saepe petitum

Non Veneri acceptum, sed retulere sibi.

Ingratis adimit formam Dea, neue coirent

Mutati, dispar indit utriq; genus.

Mox Philomenus enim quauis æstate canentem

In cuculum, incip; audam uertitur agna lupam.

### MEDICINAE AD TOLLENDOS FOETORES

#### ANHELITVS PROVENIENTES

#### À CIBIS QVIBVS DAM.

Sectile ne tetros porrum tibi spiret odores,

Protinus à porro fac mihi cepe uores.

Denuo fetorem si uis depellere cepe,

Hoc facile efficient allia mansa tibi.

Spiritus at si post etiam grauis allia restat,

Aut nihil, aut tantum tollere merda potest.

### AD LECTOREM DE NOVO TESTAMENTO VERSO AB ERASMO

#### ROTERODAMO.

Sanctum opus, & docti labor immortalis ERASMI

Prodit, & o populis commoda quanta uehit:

Lex noua nam ueteri primum est interprete læsa

Scribentum uaria post uitiata manu.

Sustulerat forsan mendas Hieronymus olim,

Sed periere pigro tam bona scripta situ.

Tota

Tota igitur demptis uersa est iam denuo mendis,

Atq; noua CHRISTI lex noua, luce nitet.

Nec tamen ambitiose singula uerba notauit,

Sanctum habuit quicquid uel mediocre fuit.

Quo sit ut haec celeri si quis præteruolat ala,

Huic nihil hic magni forte putetur agi.

Idem si presso relegat uestigia gressu,

Censebit maius commodius ue nihil.

AD REVERENDISSIMUM &c. THOMAM

CARDINALEM ET ARCHIEPISCO

PVM EBORACENSEM, IN LI-

BRVM NOVI TESTAMEN

TI, EI AB ERAS-

MO DATVM.

Vnice doctorum pater, ac patrone uirorum,

Pieridum pendet cuius ab ore chorus,

Cui populus quantum defert ac cedit honore,

Virtutes infra est tantum honor ipse tuas.

Ab liber iste tuo longe tibi uenit ERASMO.

Hunc precor hoc animo quo dedit ipse, cape.

Nec dubito, capies operi nam iure fauorem

Autor, & autori conciliabit opus.

Ille tui cultor semper fuit, est opus ipsum

Lex CHRISTI, studium quæ fuit usq; tuum.

Illa paratur ab hac prudens tibi lege facultas,

Qua Momo coram reddere iura potes.

Namq;

Namq; ita perplexas populo mirante querelas

Discutis, ut uictus non queat ipse queri.

Non humana tibi facit hoc sollertia, sed lex

CHRISTI, iudicij unica norma tuis.

Ergo opus hoc placido Praesul dignissime uultu

Excipe, & auctori (quod facis) usq; faue.

AD REVERENDISSIMVM &c. ARCHI-  
EPISCOPVM CANTVARIENSEM.

Quod bene sunt collata tuo pie praesul ERASMO

Tanta tua toties munera prompta manu,

Quam non ducat iners, quae tu facis ocia, monstrant

Multa, sed in primis indicat istud opus.

Aediderit quamuis numerosa uolumina, fructu

Non sine, uincit opus cuncta priora nouum.

Cunctorum utilitas, sed honor te est inter, & illum.

Praestitit ille operam, tu bone praesul opem.

At partem ille suam toto tibi pectore cedit,

Quicquid agit, meritis imputat omne tuis.

Hunc petit ille sui fructum pater alme laboris,

Charus ut hoc tu sis omnibus, ille tibi.

EPITAPHIVM IN SEPVLCHRO IOHANNAE

OLIM VXORIS MORI, DESTINANTIS

IDEM SEPVLCHRVM ET SIBI ET

ALICIAE POSTERIORI VXORI.

Chara Thomae iacet hoc Iohanna uxorcula Mori,


Qui tumulum Aliciæ hunc destino, quiq; mihi.

Vna

Vna mihi dedit hoc coniuncta uirentibus annis,  
Me uocet ut puer, & tria puella patrem.  
Altera priuignis (quæ gloria rara nouerçæ est)  
Tam pia, quam gnatis uix fuit ulla suis.  
Altera sic mecum uixit, sic altera uiuit,  
Charior incertum est, hæc sit, an hæc fuerit.  
O simul o iuncti poteramus uiuere nos tres  
Quam bene, si fatum relligioç sinant.  
At societ tumulus, societ nos obsecro cælum:  
Sic mors, non potuit quod dare uita, dabit.

EPIGRAMMATVM CLARISSIMI DISERTIS,  
SIMI' QVE VIRI THOMAE MORI,  
CIVIS ET VICECOMITIS  
LONDINENSIS, FINIS.

BASILEAE, APVD IOANNEM FRO  
BENIVM, MENSE MARTIO,  
AN. M. D. XVIII.



# EPIGRAMMATA

DES. ERASMI ROTE  
RODAMI.

APVD INCLYTAM  
GERMANIAE BA  
SILEAM.



Ἐρατῆρας ἡ πειδῶ πύχομ  
αὐτῆτο νεκταρίους, δίος  
πάρα τῷ μεγίστῳ, ποικιλόν  
φρωμ ἡ θεὰ ιητή θελξινθέ,  
ἅμβροσίαρ ἐις τὴν συμπότωρ  
παρνασσίωμ φιλοτήσιας  
φρόσα. τῇ δὲ οἵπιο  
οἱ ζεὺς. τέκνον ἀγέω πενθεμόρ  
κάμοι μέλει, τοῦ ξενίω,  
πῶμ συμπότωρ προνασσίωρ.  
ἐνδυμού διῶ πτὺς δωρεάρ  
τὸ φῦλον αμαλθείης κέρας,  
ἔρασμικῶμ τὴν ἀνθέωρ,  
πῶμ ήγωδέωρ, λάθε,  
πυμφῶρ θυσίας οὐρεάδωρ.  
οῖς ὠκεανός τῷ νέκταρού  
κάμβροσίας ἔβδολονονή.  
ἴσω δέ, μελιφδόγγοις, δρόσοι  
μάσησι, τέρπνισορ πόμα.,  
καλοῖς τέρψσι, κύμερα,  
ιητή ταῖς χάρισιν ἐπιτάκοποις.  
Αἰτεὶ δὲ θαλῆτον κέρως  
Ερασμικό τὰ λείσια,  
σέφη θεοῖς. τὰ δὲ δίος  
παρνασσίοις ἀγγέλεται  
πειδῶ. θεοὶ δέ συμπόται  
χαίρουσι. τέρπονται κεράς  
πῶμ ἀνθέωρ Ερασμικῶμ.

Tubingæ XIIII. Calend. Septemb.

Anno. M. D. XVI.

# IOANNES FRO-

BENIVS CANDIDO LRCTO  
RI S. D.

**A**CCEPIMVS iam pridem, Erasmi Ro-  
terodami compatriis nostri Epigram-  
mata à studiosis summopere flagita-  
ri. Proinde dedimus operam, ut quic-  
quid illius uersicularū aut apud Bea-  
tum nostrum Rhenanū esset, aut Bru-  
nonem Amorbacchiū, id omne uno complexi libello  
typis nostris excuderemus. Quanq̄ intelligebamus,  
plurimum nos hac re studiosis, Erasmo uero minimū  
gratificaturos. Nam magnam horum Epigrāmatum  
partem non in hoc scripsit ut æderentur, sed ut amicu-  
lis suis (ut est minime morosus) obsequeret. Quin ipsi  
uidimus cum abhinc sesquiannum apud nos ageret  
Euāgelica & Apostolica monumēta, partim latine uer-  
tens, partim recognoscens, & doctissimas illas in nouū  
instrumētum Annotationes, nec non in diuum Hiero-  
nymū scholia scriberet, deum immortalem, q̄ laborio-  
sis lucubrationibus, q̄ pertinaci studio, quantum su-  
doris illi cotidie exhaustebatur: ipsi inquam uidimus  
nō defuisse è magnatibus, qui uirum occupatissimū (si  
quisquām in literis unquām fuit occupatus) interorra-

L 2 re de

re de nugis auderent, aliquot epigrammatum aut epistolium e blandientes. Sed em̄ quid ageret vir suauissima morum facilitate praeditus. negaret, incivile hoc ex gentibus uideref̄ scriberet, at animus alijs cogitationibus impeditiebatur. nec ab inceptis laboribus quicq̄ re spirare licebat. Nihilo secius scribebat, sed ex tempore & obiter ad Musarum sacra diuertens. Quanq̄ huius extemporalia planè talia sunt, ut aliorum diu meditatis anteponi mereantur. Et ueniet nunc triobolaris aliquis paedagogulus, qui instar Momi, tam carpendi studio singulis curiosissime exploratis, uerbum aliquod reperiet, quod sibi nō probet, ut non Baptista nicum aut Faustinum, aut deniq̄ si dijs placet Marullum. hic statim suclamabit, o virum carminis indoctum. Regererem in illum ego, si quem superbe sic ineptientem audirem, o nebulonem, o furciferum. Tu ne tantum tibi tribuis, ut tanti viri censorem agas. Decem totis mensibus non posses uel unum uersiculum scribere, caput scabens & arrosis ante digitis, quod genus hic multos, (ut Horatius inquit) stās pede in uno, minima parte horae, amanuensi suo dictat. Sed haec in malignos istos. Candidi uel infelicia bona consolunt, tantum abest ut quæ docta sunt, uellent. Bene Vale. Basileæ Cal. Martiis. Anno M. D. XVIII. Des. Erasmi

277

# DES· ERASMI RO-

TERODAMI RHYTHMVS IAMBICVS

IN LAVDEM ANNAE AVIAE

IESV CHRISTI.



Alue parens sanctissima.

Sacro beata coniuge,

Sacratiore filia,

Nepote sacratissimo.

Domo quid hac illustrius?

Ornatiusue? Quæ altera

Tam multiplex habuit decus?

Tantum una monstrorum tulit?

Hic hic maritum annis grauem

Effoeta anus facit patrem.

Est uirgo foeta filia

Nepos dei uerbum, ac deus.

Gener pudicus se negat

Partus parentem uxorij.

At integrum iurat, neque

Riuale pallet suspicax.

Ergo Anna mater optima.

Cumulatius multo tuas

Lachrymas deus solatus est,

Quam uel Rebeccæ, uel Saræ.

L, Vd

Vel illius, quæ te refert  
Et rebus, & uocabulo.

Quæ dum silenter anxij  
Proferret æstus pectoris,

Visa est Heli multo mero  
Amens, paruimq; sobria.

At te pio cum coniuge  
Amore prolis annua

Templis ferentem munera  
Procax sacerdos reppulit,  
Heus, inquit, hinc mihi ocyus  
Prophana uota tollite,

Ipsi simul procul  
Aris sacris absistite.  
Vestran' deo donaria  
Futura grata creditis:

Quorum pudendæ nuptiæ  
Præter libidinem nihil  
Luxum & senilem scilicet  
Tanto tulere tempore:

Quo se locorum uerterent  
Vultus pudentum coniugum,  
Repulsa quos tam foeda, tam  
Insignis exanimauerat;

Ioachim pudorem non ferens  
Gregum ad suorum pascua

Se proripit,

Se proripit. tristis suam  
Recepit Anna se domum.  
Largis uterq; fletibus  
Votisq; pertinacibus  
Orare non cessat deum  
Ut probe probrum tolleret.  
Cælum penetrarunt preces  
Adest ab astris Angelus  
Qui prole promissa, graues  
Luctus iuberet ponere.  
Surgunt alacres, inuicem  
Narrare uisa gestiunt,  
Porta maritus aurea  
Se queritantem coniugem  
Offendit. hic lætus stupor,  
Dulces utriq; lachrymas  
Exussit. hinc modicos lares  
Iunctis reuisunt gressibus,  
Haud uana uox oraculi  
Lusit piam senum fidem:  
Bis Luna nata quinques  
Anum uidet puerperam.  
Tanto quidem felicius,  
Fecunda quanto serius,  
Fit Anna filiæ parens,  
Nec filiæ cuiuslibet,

Sed filiæ,

Sed filiæ, quæ fertilis  
Eademq; uirgo gigneret.  
At quem beata gigneret?  
Summi parentis filium.

Qui sceptra terræ & ætheris  
Cum patre habet communia,  
Qui deus & idem homo, necis  
Autore, uicto per necem,

Vitam reduxit mortuis,  
Aperuit in cælos iter.  
O terç quaterç & amplius  
Parens beata, Nam potes

Iuua preces mortalium  
Tuo uacantum cultui,  
Nam te patrona quidlibet  
Speramus assequi modo

Voles, uoletq; & filia.  
Nec huic petenti pusio  
Negare quicquam nouerit.  
Amat parentem filius

Neq; filio negat pater  
Amans & ipse filium.

Amen.

Ad Guiliel-

DES. ERASMI ROTERODAMI CARMEN AD  
 GVILIELMVVM COPVM BASILEIENSEM  
 DE SENECTVTIS INCOMMODIS,  
 HEROICO CARMINE, ET IAM/  
 BICO DIMETRO CATA  
 LECTICO.



Nica nobilium medicorum gloria Cope,  
 Seu quis requirat artem,  
 Siue fidē spectet, seu curā, in quolibet ho-  
 Vel iniquus ipse nostro (rum  
 Præcipuos tribuit Gulielmo liuor honores.  
 Cedic fugitq; morbi  
 Ingenio genus omne tuo. Teterima porrò  
 Senecta morbus ingens,  
 Nullis arceriūe potest, pelliūe medelis.  
 Quin derepente oborta,  
 Corporis epotet succos, animiç; uigorem  
 Hebetet, simul trecentis  
 Hinc atq; hinc stipata malis, quibus omnia carptim  
 Vellitq; deteritq;  
 Comoda, quæ secum subolescens uexerit ætas,  
 Formam, statum, colorem.  
 Partem animi memorē, cum pectori, lumina, somnos  
 Vites, alacritatem,  
 Autorem uitæ igniculum, decerpit, & huius  
 Nutrictum liquorem,

Vitaleis adimit flatus, cum sanguine corpus,  
Risus, iocos, lepores.  
Deniq; totum hominem paulatim surripit ipsi.  
Necq; de priore tandem  
Præterq; nomen, titulumq; relinquit inanem.  
Cuiusmodi tuemur  
Passim marmoreis inscalpta uocabula bustis.  
Vtrum hæc senecta quæso,  
An mors lenta magis dicenda est; inuida fata, &  
Impendio maligna,  
Vt quæ deteriora labantis stamina uitæ.  
Pernicitate tanta  
Accelerare uelint, rapidisq; allabier alis.  
At floridam iuuentam  
Vsque adeo male præcipiti decurrere filo,  
Vt illius priusquam  
Cognita sat bona sint, iam nos fugitiua relinquant.  
Et citius atq; nosmet  
Planè uiuere senserimus, iam uiuere fracti  
Repente desinamus.  
At cerui uolucres, & cornix garrula, uiuunt  
Tot sæculis, uigeniq;  
Vni porrò homini post septima protinus, idq;  
Vixdum peracta lustra,  
Corporeum robur cariosa senecta fatigat.  
Necq; id satis, sed ante

Quam

Quām decimum lustrum uolitans absoluērit ætas,

Tentare non ueretur

Immortalem hominis, ductamq; ex æthere partem.

Et hanc laceſſit audax,

Nec timet ingenij sacros incessere neruos.

Sua ſi fides probato

Conſtat Aristoteli, ſed quorū opus obſecro tanto

Autore, quando certam

Ipsa fidem, heu nimium facit experientia certam.

Quām nuper hunc Erasmus

Vidisti media uiridem florere iuuentas?

Nunc is repente uerſus,

Incipit urgentis ſenij ſentiscere damna,

Et alijs eſſe tendit,

Difſimiliſcq; ſui, nec adhuc phœbeius orbis

Quadragies reuexit

Natalem lucem, quæ bruma ineunte Calendas

Quinta anteit Nouembreis.

Nunc mihi iam raris ſparguntur tempora canis,

Et albicare mentum

Incipiens, iam præteritis uernantibus annis,

Vitæ monet cadentis

Aduentare hyemem, gelidaſcq; instare ſeneſtam.

Eheu fugacis, ohe

Pars ueluti melior, ſic & properantior æui

O ſaculi caduci

Flos nimium breuis, & nulla reparabilis arte,  
 Teneræ o uiror iuuentæ,  
 O dulces anni, o felicia tempora uitæ  
 Ut clanculum excidistis,  
 Ut sensum fallente fuga, lapsuq; uolucri  
 Furtim auolastis, ohe  
 Haud simili properant undosa relinquere cursu,  
 Virideis fluenta ripas.  
 Impete nec simili, fugiunt caua nubila, siccis  
 Quoties aguntur euris.  
 Sic sic effugiunt tacitæ uaga somnia noctis  
 Simul auolante somno,  
 Quæ desyderium, curas & præter inaneis,  
 Sui nihil relinquunt.  
 Sic rosa, quæ tenero modo murice tincta rubebat  
 Tenui senescit haustro.  
 Atq; ita, me miserum, nucibus dum ludo puellus,  
 Dum literas ephiebus  
 Ardeo, dum scrutor, pugnasq; uiasq; sophorum,  
 Dum rhetorum colores,  
 Blandaq; mellifluæ deamo figmenta poësis,  
 Dum necato syllogismos,  
 Pingere dum meditor tenueis sine corpore formas,  
 Dum sedulus per omne  
 Autorum uoluor genus, impiger undiq; carpo,  
 Apis in modum Matinæ,

Pædias

Pædias solidum cupiens absoluere cylcum,  
Sine fine gestienti.  
Singula correptus dum circumuector amore,  
Dum nil placet relinqui,  
Dumq; prophana sacris, dum iungere græca latinis  
Studeoq; moliorq;  
Dum cognoscendi studio, terraq; mariq;  
Volitare, dum niuosas  
Cordi est, & iuuat & libet eruptare per alpeis,  
Dulceis parare amicos  
Dum studio, atq; uiris iuuat innotescere doctis,  
Furtim inter ista pigrum  
Obrepst senium, & subito segnescere uireis  
Miroq; sentioq;  
Vixq; mihi spatium iam defluxisse ualentis  
Persuadeo iuuentæ.  
Quur adeo circumspete parcęq; lapillis,  
Quur purpuris & ostro  
Mortales utuntur, & vatas aurea, tanto  
Preciosior lapillis,  
Et quouis auro, quouis preciosior ostro,  
Prodigitur, inq; nugis  
Conteritur miseris nullo uecorditer usu,  
Siniturq; abire frustra:  
Adde quod illa queant sarciri perdita, Crassos  
Speres tibi licebit,

m ; Et Lydos

Et Lydos sp̄eres Cr̄esos, iam Codrus, & Irus  
 Sed quod semel seuera  
 Pensilibus fusis Clotho deuoluerit æuum,  
 Id nec uenena Circes,  
 Nec magicum Maia natī gestamina, sceptrum  
 Neq; dīra Thessalorum,  
 Medeæ succis reuocare precamina possint.  
 Non si uel ipse diuūm  
 Nectare te saturet pater, ambrosiōq; liquore.  
 Nanq; his ali iuuentam  
 Arceri senium scripsit nugator Homerus.  
 Non si tibi efficaci  
 Rore riget corpus Tithoni Lutea coniunx.  
 Non si ter, octiesq;  
 Phaon per Chias Venerem transuexeris undas.  
 Non si tibi ipse Chiron  
 Omneis admoueat, quas tellus proserit, herbas.  
 Nec anulus, nec ulla  
 Pharmaca, cum neruis annos remorantur eunteis.  
 Atqui ferunt Magorum  
 Monstrifico sisti torrentia flumina cantu,  
 Iisdem ferunt relabí  
 Præcipites amnes, uerso in contraria cursu.  
 Et Cynthiæ uolucres,  
 Et rapidas Phœbi sisti, figiōq; quadrigas.  
 Sed ut hæc stupenda possint

Carmina.

Carmina, non speres tamen improbus, ut tibi quondam

Aut iam peracta uitæ

Sæcla, iterum referant, aut prætereuntia sistant.

Sol mergitur, uicissimque

Exoritur nouus, & nitido redit ore serenus.

Extincta luna rursum

Nascitur, inçque uices nunc decrescente minuta

Sensim senescit orbe.

Nunc uegeta arridet tenero iuueniliter ore.

Redit ad suam iuuentam.

Bruma ubi consenuit, zephyris redeuntibus annus.

Et post gelu, niueisque

Ver nitidum, floresque reuersa reducit hirundo.

At nostra poste aquam

Feruida præterit sæclis labentibus æstas,

Vbi tristis occupauit

Corpus hyems, capitiscque horrentia tempora, postque

Niue canuere densa,

Nulla recursuri spes, aut successio ueris,

Verum malis supremum

Imponit mors una, malorum maxima, finem.

More Phrygum inter ista

Incipiimus sero sapere, & dispendia uitæ

Incogitanter actæ

Ploramus miseri, & consumptos turpiter annos.

Horremus, execramur.

Quæ

Que quondā heu nimijū placuere, & quæ uehementer  
 Mellita uisa dudum,  
 Tum tristi cruciant recolentia pectora felle  
 Frustrac̄z maceramur  
 Tam rarum sine fruge botum fluxisse, quod omni  
 Bene collocare cura  
 Par erat, & nullam temere disperdere partem,  
 At nunc mihi oscitanti  
 Qualibus heu nugis, quanta est data portio uitæ.  
 Satis hactenus miselle  
 Cessatum, satis est dormitum, pellere somnos  
 Nunc tempus est Erasme  
 Nunc expurgisci & tota resipiscere mente  
 Velis dehinc, equis̄c̄z,  
 Et pedibus, manibus̄c̄z, & totis deniq̄z neruis  
 Nitendum, ut anteacti  
 Temporis, & studio iactura uolubilis æui  
 Vigilante sarciantur  
 Dum licet, ac dum tristis adhuc in limine primo  
 Consistimus senectæ,  
 Dum noua canicies, & adhuc numerabilis, & dum  
 Pilis notata rarissima  
 Tempora, duntaxat spatiū effluxisse uirentis  
 Iam clamitant iuuentæ,  
 Nec tam præsentem iam testificantur adesse  
 Quam nunciant citatum

Ferre

Ferre gradum, & sterilem procul aduentare senectam.

Cuiusmodi uidetur

Tum rerum facies, quum autumni frigore primo,

Iam uernus ille pratis

Decessit decor, ac languescunt lumina florum.

Iam iam minus nitenteis

Herbas affirmes, Boreaſq; gelūq; nocentis

Iam prætimere brumæ.

Ergo animus, dum totus adhuc constatq; uigetq;

Et corporis pusillum

Detrimenta nocent, age iam meliora sequamur.

Quicquid mihi deinceps

Fata æui superesse uolent, id protinus omne

CHRISTO dicetur uni.

Quo, cui uel solidam decuit sacrarier, ut cui

Bis, terq; debeatu;

Principio gratis donata, hinc reddita gratis,

Totiesq; uindicata,

Huic saltem pars deterior, breuiorq; dicetur.

Posthac ualete nugæ,

Fucatæq; uoluptates, rifuſiq; iociq;

Lusus, & illecebrae,

Splendida nobilium decreta ualete sophorum,

Valete syllogismi.

Blandæ Pegasides, animoſq; trahentia Pithüs

Pigmenta, flosculiç.

N Pectore

Pectore iam soli toto penitusq; dicato,

Certum est uacare C H R I S T O.

Hic mihi solus erit studium, dulceſq; Camœnæ,

Honos, decus, uoluptas.

Omnia solus erit, neq; quicq; ea cura (quod aiunt)

Mouebit Hippoclidem,

Terrea si moles, compagóq; corporis huius

Marcescat obfoleſcens,

Mens modo pura mihi, scelerumq; ignara, per illum

Niteatque, floreatque,

Donec summa dies pariter cum corpore mentem

Ad pristinum nouata

Conuictum reuocabit, & hinc iam uere perenni

Pars utracq; fruetur.

Hæc facito, ut rata sint uitæ exorabilis autor,

Vitæque restitutor.

Quo sine nil possunt unquam mortalia uota, &

Vires labant caducæ.

ERASMVS AD IOANNEM SAPI

DVM SVVM, IN DISCESSV.

Quando distrahimur absens absentis amici

Candide Ioannes hoc tibi pignus, habe.

Quocq; magis spatium seiunget corpora nostra,

Mutuus hoc proprius pectora iungat amor.

Illustrissimo

# ILLVSTRISSIMO

PVERO DVCI HENRICO ERASMVS

ROTERODAMVS S. P. D.



Eminisse debes Henrice Dux illustris  
fime, eos qui te gemmis, auroue ho-  
norant, dare primum aliena, quippe  
fortunæ munera, præterea caduca, de-  
inde qualiaq; plurimi mortales pos-  
sint elargiri, postremo quæ tibi ipsi  
domi abūdent, quæq; donare alijs q; accipere, magno  
principi longe sit pulchrius. At qui carmē suo ingenio,  
suis uigilijs elucubratum, nomini tuo dicat : is mihi nō  
paulo præstantiora uidetur offerre: utpote qui non ali-  
ena, sed propria largiatur, nec paucis annis intermoritu-  
ra: sed quæ gloriam etiam tuam immortalem queant  
efficere, tum ea quæ perq; pauci possint donare (neq;  
enim pecuniosorum & bonorum poëtarum par copia)  
deniq; quæ non minus sit regibus pulchrum accipere,  
q; remunerari. Et opibus quidē nemo non regum abū-  
dauit, nominis immortalitatem nō ita multi sunt asse-  
quuti, quam quidem illi pulcherrimis facinoribus eme-  
teri possunt, at soli uates eruditis carminibus præsta-  
re. Siquidem & ceras & imagines, & stemmata, & aure  
as statuas, & incisos in æs titulos, & operosas pyrami-  
das, longa annorū series demolitur. Sola poetarū mo-

N 2 numenta

numēta, ipsa ætate, quæ res omnis debilitat inualeſcūt.  
 Quod prudēter intelligens, Alexander ille cognomēto  
 Magnus, à Cherylo poëta, nō admodū sanè bono, ſin-  
 gulos uersiculos tolerabileis, ſingulis Philippicis ex pa-  
 cto redimebat, proſpiciebat nimirū & Apellis tabulas,  
 & Lysippi ſtatus, paucis annis interituras, nec quicqz  
 omnino fortiū uirorū memoriā aeternā poſſe reddere:  
 præter immortalitate dignas, eruditoru hominum lite-  
 ras, nec ullū eſſe gloriae genus syncerius, ac prætantius,  
 qz quod à posteris uirtuti datur hominū, non fortunæ.  
 non ab amore, non à metu, non ab aſſentatione, ſed li-  
 bero iudicio profectū. Age iā qui malos uersus tā cha-  
 re prodigus emitt, nōne optet Homericos non ſingulis  
 aureis, ſed ſingulis urbibus emercari? Quē quidē poë-  
 tā, & in delitijs habuisse, & Achillī inuidiſſe legitur. bea-  
 tum illū pronunciants, nō ſolū uirtute, ſed potiſſimū ta-  
 li uirtutū ſuarū p̄r̄cone. Quanqz nō me clam eſt, hac  
 noſtra memoria, principes plerosqz literis tā non dele-  
 ctari, qz eas nō intelligunt, qui utrūqz iuxta ineptū exi-  
 ſtimant, imo pudendū, optimatē uirū, uel ſcire literas,  
 uel à literatis laudari, quaſi uero ſint ipſi, uel cū Alexan-  
 dro, uel cū Cæſare, uel omnino cū ullo ueterū, aut graui-  
 tate, aut ſapientia, aut benefactorū gloria conferendi.  
 Ineptū putant à poëta laudari, quia deſierūt facere lau-  
 danda, nec tamen à gnatonibus ſuis laudari refuſiunt,  
 à quibus rideri ſe, aut ſciunt, aut id ſi neſciūt, ſtultiſſimi  
 ſint

sint oportet. Quos quidē ego uel ipso Mida stolidiores iudico, qui asinini auriculis deturpatus est, nō q̄ carmina conteneret, sed quod agrestia præferret eruditis. Mī dā ita q̄ nō tā animus defuit, q̄ iudiciū. at his nostris, utruncq;. A quorū stultitia quū intelligerē generosam tuā indolē uehementer abhorre, dux clarissime, eōq; iā nunc à puerō tuos conatus spectare, ut non tā tuorū temporū, q̄ ueterū similis euadere cupias, non ueritus sum hunc qualēcunq; panegyricū nominī tuo nūcupare. Qui si tuæ celsitudini, longe impar (ut est) uidebitur, memineris facito & Artaxersem regem præstatiſſimū aquā à rusticano quodā operario, quā ille manu utra/ q̄ haustā, obequitāti obtulerat, hilare, subridentēq; accepisse, & eiusdē nominis aliū (ut opinor) pro malo, à pauperculo quopiā allato, perinde, ut pro magnificen- tiſſimō munere gratias egisse, ratū uidelicet, nō minus esse regale parua prompte accipere, q̄ magna munifi- ce elargiri. Quidē nonne etiā superi ipsi, qui nullis moraliū opibus egent, ita muneribus huiusmodi delectan- tur, ut cōtempta interim diuitū Hecatombe, rusticana mica, & thusculo paupere placentur, animo nimirū of- ferentis nō rerū precio, nostra donaria metiētes. Et hæc quidē interea tāq; ludicra munuscula tuæ pueritiæ dicā uimus, uberiora largituri, ubi tua uirtus unā cum ætate accrescens uberiorē carminū materiā suppeditabit. ad quod equidē te adhortarer, nisi & ipse iā dudū sponte

N. 3 tua

tua uelis, remiſq; (ut aiunt) eō tenderes, & domi habe  
res Skeltonum, unum Britannicarum literarum lumen  
ac decus, qui tua studia possit, nō solum accendere, sed  
etiam consummare. Bene uale, & bonas literas splen  
dore tuo illuſtra, autoritate tuere, liberalitate foue.

ODE ERASMI ROTERODAMI DE LAV  
dibus Britanniae, Regisq; Henrici septimi, ac  
regionum liberorum, carmine hexa/  
metro, & Iambico trimetro  
acatalecticō.

BRITANNIA LOQVITVR.



India, ex/  
tremā.  
Arabia.  
Panchaia.  
Hispaniæ  
Tagus.  
Aegypti  
Nilus.  
Vina Rhe/  
ni.  
Aphrica  
fertilitas.

Iactare licet magnorū munera diuūm,  
Sibiq; ueris fas placere dotibus,  
Quir mihi nō uidear fortunatissima tellūc  
» Digna est malis, bona quæ parū nouit  
Ultima lanigeris animosa est India lucis, (sua.  
Suis superbus est Arabs odoribus,  
Thuriferis gaudet Panchaia diues harenis  
Ibera flumen terra iactat aureum.  
Aegypto faciunt animos septem ostia Nili,  
Laudata Rheni uina tollunt accolas.  
Latæ nec uberibus sibi displicet Africa glebis,  
Hæc portubus superbit, illa mercibus.

At mihi

At mihi nec fontes, nec ditia flumina desunt.

Anglia  
dotes.

Sulciue pingues, prata nec ridentia.

Fœta uiris, fœcunda feris, fœcunda metallis.

Temperi,  
es Angliae.

Ne glorier, quod ambiens largas opes.

Porrigit Oceanus, neu quod nec amicius ulla

Logi dies.  
Noctes lu-  
cidæ.

Cælum, nec aura dulcius spirat plaga.

Seru in occiduas mihi Phœbus conditur undas.

Lana An-  
glia.

Soror cyp nocteis blanda ducit lucidas.

Possem ego laudati contemnere uellera Beti,

Miracula  
Angliae.

Vbi uillus albis mollior bidentibus?

Et tua non nequeam miracula temnere Memphi.

Alter mū-  
dus An-  
glia.

Verum illa maior, iustior cyp gloria,

Quod Latij, quod sum celebrata Britannia Graij,

Regis Hen-  
rici laudes

Orbem uetustas, quod uocauit alterum.

Non tamen hæc iacto, nam sunt antiqua, sed inde

Artes bellii  
& pacis.

Attollo cristas, ac triumpho serio,

Quod in ihi rex pulchri pars est pulcherrima regni.

Regis mo-  
deratio.

Rex unicum huius sæculi miraculum.

Regis cle-  
mencia.

Instructus pariter Martis cyp, & Palladis armis,

Belli peritus, pacis est amantior.

Indulgens alijs, sibi nil permittit, habenas

Regis in  
patriam  
pietas.

Suis relaxans ciuibus, stringit sibi.

Hoc regnum ille putat, patriæ charissimus esse,

Blandus bonis, solis timendus impijs.

Non Decijs sua Roma, suo non Attica Codro,

Pluris fuit, fatis redempta mutuus.

Numinis

Regis reli/ Numinis ac cæli tanta est reuerentia, quanta  
gio. Nec erat Metello, nec marito Aegeriæ.

Regis facū/ Non mellita magis Pylio facundia regi,  
dia. Nec Cæsari mens maior, aut sublimior,

Regis libe/ Nec Mecœnati, uel dextra benignior unq̄  
ralissimi suma san/ guinis par Creditus Aeneas Veneris de semine cretus.  
simonia. Dicitus parente Scipio satus Ioue.

Quid si prisca meum uidissent sæcula regem,  
Hoc ore tam decente, tali pectore?

Nonne Iouem humanis ipsum succurrere rebus,  
Nostro latentem credidissent corpore?

Atq̄ hic semper erit magni mihi numinis instar.  
Meus hic Apollo sæculi pater aurei.

Alludit ad assertū im/ perium. Hoc oriente meis gens ferrea cessit ab oris,  
Fraudes reuersa Astrea distulit malas.

Alludit ad uictū eum qui se re/ gis filiū e/ mētiebat. Non secus, ac toto uanescunt sydera cælo  
Simul ore Titan emicauit igneo.

Pax An/ gliæ. Claudere iam Ianum fas est, iam ducere longas  
Custode rerum tam potente ferias.

Optat regi immortali/ tatem. Me miseram, quur huic æternos Iuppiter annos  
Non addidisti, cuncta quum donaueris?

Nolunt nostra suis æquari numina regnis.  
At si qua magnos uota tangunt cælites,

Seruus sydereas certe referatur in arces,  
Fatale sera stamen amputet Atropos.

Finijt

Finijt Alcides speciosos morte labores,

Debetur altum regibus cælum bonis.

Hunc repeatant superi, sed tum, quum Nestoris æuū,

Vbi senectam uicerit Tithoniam

Et uiuet tamen usq; mihi, dum regia proles

Referet parentis nomen, os, & indelem.

Quæ mihi purpureis iam quina adolescit in aulis

Regum futuri tres patres, matres duæ.

Non aliter pictis Pestis uernantis in hortis,

Almo nitentis rore pubescunt rosæ,

Formosæ Veneri flos acceptissimus, & quo

Nec spirat alter, aut renidet blandius,

Nec cœxi libus sit gratia tanta coronis,

Ambire solus regiam dignis comam.

Hic ubi cultoris lasciuia industria docti,

Miscere gaudet punicanteis candidis.

Plurimæq; in spina rutilat rosa, & albicat, una

Vt lacteum si murici iungas ebur,

Omnibus idem odor est, ros omneis educat idem.

Eadem iuuenta, forma par, idem frutex.

Atq; eadem tellus succo nutricat eodem.

Fouentur auris ijsdem, eodem sydere.

Sunt duo, quæ uariant, cognatæq; germina pulchros, Rosa Ed.,

Aetas, colorq; diuidunt discrimine.

Hæc modo nata, latet propè cortice tota uirenti,

Tenuiæq; rima tenera lucet purpura.

Laus qnq;  
regis libei  
torum.

Cōparatio  
de rosis pe  
stanis.  
Rosæ lau  
des.

Rubra ro  
sa & alba.

O

Hæc

- Rosa Ma/  
ria. Hæc niuei tantum fastigia protulit oris,  
Sensim at dehiscens turgidos rumpit sinus.
- Rosa Hen/  
rici. Exerit hæc totum discissa ueste mucronem,  
Clausas minata iam comas euoluere.
- Rosa Mar/  
garitæ. Illaq; lacteolos nondum exinuauit amictus,  
Vix credit auris tam rudeis adhuc opes,  
Candida sed tenui suffunditur ora rubore.  
Seu fratriis hic est, siue syderis color.
- Rosa Ar/  
cturi. Maxima ter seno foliorum gaudet honore,  
Tyrio micantes explicans ostro comas.
- Non siclana rubet bis Concha imbuta marina,  
Non sic Eōis phœbus emergens aquis,  
Nec solum arridet pulchro uenientibus ore,  
Luteola sed iam pollicetur semina.
- Arcturi  
laus. Hic meus Arcturus qui nominis omine felix,  
Virtute reddet, quem refert uocabulo.
- Arcturi in  
doles. Aspice quod specimen generosæ frontis in illo est,  
Ut lucet oculis uiuidus in mentis uigor.
- Arcturi  
præmatu/  
ra pruden/  
tia. Præcoqua nec tardam expectat sapientia pubem,  
Præuertit annos in doles ardens suos.
- Dauid pu/  
er. Talis Iesides, illiq; simillima proles,  
Hic quam timendas dissecat puer feras,
- Salomon,  
puer. Hæc quando ancipitem potuit dissoluere litem,  
Mala inq; fraudem, fraude docta prodere.
- Margaritæ  
laus. Proxima consequitur Nymphæ quæ nomina ducit
- Vnionis  
natura. Ab unione, Persici sc̄tu maris.

Omine

Omine delector, blando candore lapillus

Placet, pudore Margarita lacteo.

Hic teres est, nec inæquali leuore rotundus,

In Margaritæ moribus scabrum nihil.

Est noua cum liquido gemmæ cognatio cælo.

Claret sereno sole, paltet nubilo.

At mea virgo pijs est addictissima diuis,

Cælumq; mauult, quām uagum pelagus sequi.

Hanc qui cum socijs uidisset ludere Nymphis,

Habiliq; fratrem tela torquentem manu,

Aureus hic Phœbus, soror hæc argentea Phœbi est,

Per ipsa iuret alma Phœbi lumina.

Iam puer Henricus genitoris nomine latus,

Henric  
laus.

Monstrante fonteis uate Skeltono sacros.

Palladias teneris meditatur ab unguibus arteis.

Quām multus illi lucet in uultu pater,

Talis in Ascanio renitebat imago parentis,

Sic pulchram Achilles ore reddebat Thetin.

Nescio quid Maria prædari spondet ab ipso

Maria  
laus.

Nunq; occidentis syderis cognomine.

Sed cunas Edmonde tuas quo carmine dicam?

Edmond  
laus.

Adeste plectris huc sorores aureis

Et puero fidibus placidos accersite somnos,

Ac Fesceninis infonate uersibus.

Muneribus blandis cunabula spargite Nymphæ,

Aggerite, quicquid est odori graminis.

Q 2 Ambrosiam,

Ambrosiā, Casiā, Calthaīq; Thymūīq; Crociūīq;  
 Et Syra Amōma, nec insuauem Amaracum.  
 Tum florū mille species, ac mille colores,  
 Sed plurima omneis inter ardeat rosa.  
 Hanc turbam, hanc niueam pulchris miscete corollis  
 Gaudet paternis parua proles floribus.  
 Vos precor o puero date uellera candida Parcae,  
 Eatq; fausto molle stamen pollice.

DES. ERASMI ROTERODAMI AD GAGVI  
 NVM NON DVM VISVM, CARMEN  
 HENDECASYLLABVM,

ALLOQ VITVR MVSAS SVAS.



Vid dum mittimini uerenda ad ora  
 Gaguini, laceræ ac leues Camœnæ,  
 Restatis trepidæq; pallidæq;  
 Nec non Parmeno uti Terentianus  
 Causas nectitis, ecquis? ecquid? ecquo?  
 Vos solas adeo fugit Roberti  
 Nomen, scripta diserta cuius ingens  
 Nouit, suspicit, ac adorat orbis?  
 Ergo nos humilesq; barbaræq;  
 Ad tanti patris irruemus, altas  
 Docti, nobilis, ac potentis ædes?  
 Magna est rusticitas, nihil pudere.  
 Summa est rusticitas nimis pudere.

Ecquem

Ecquem singitis obsecro Robertum,  
 Personam Tragicam cauete cultum  
 Tam raris studijs, & expolitum,  
 Vulgi moribus aestimare pectus.  
 Sunt fastidia tetra barbarorum,  
 Sunt commercia gratijs solutis  
 Cum blando Aonidum choro sororum.  
 Vanum ponite pectoris timorem,  
 Et doctum celeres adite uatem.  
 Vos quāmuis humilescꝝ barbarascz  
 Blandō comiter ille,candidoꝝ  
 Exceptabit(ut est benignus)ore.  
 Si dictaꝝ salute,redditāꝝ  
 Percontabitur,illico,unde,cuiæ?  
 Ne crassum pudeat solum fateri.  
 Obscuriūe uocabulum magistri  
 Si quid ueneritis rogabit,hoc ora-  
 tum carminis huius ut Poëtam  
 Commendatum habeat,suumqꝝ scribat.

## IN ANNALES GAGVINI, ET EGLOGAS

FAVSTINAS, EIVSDEM CARMEN

RVRI SCRIPTVM, ET

AVTVMNO.



Vper quū uiridis nemoroso in marginetū  
 Irrigua spatiarer in herba. (pt  
 O, Eritabam

Errabam tacitæ per amica silentia sylvaæ,  
 Dulci tactus corda furore.  
 Iam nemora & fontes, iam rustica uita placebat.  
 Turbam, & fumida tecta pero so.  
 Cumq; Marone meo, gelidis in uallibus Hemis  
 Sisti terc; quaterc; precabar.  
 Quum subito affulgens, Veneriq; simillima pulchrae.  
 Obuia fit tua Fauste Thalia.  
 Protinus illa oculis est eminus agnita nostris,  
 Comi arrisit molliter ore.  
 Ut coram stetit, ecquid, agit meus, occupo, Faustus?  
 Quidue decus commune Gaguinus?  
 Viuit uterq;, & uterq; suo deuinctus Erasmo,  
 Aut eadem, aut meliora precatur.  
 Gaudeo. uerum age dic, quidnam molitur uterq;  
 Quod cantet schola Franca, legatue?  
 Quæ reor à tam ditibus atq; feracibus aruis,  
 Iamdudum annua munera sperat,  
 Autumnurq; suum: primum tuus ille Robertus  
 Exæquat sermone soluto  
 Stemmati Francorum, & decus, & fera prælia regum.  
 Iam nihil est, quod Gallia docto  
 Inuideat Latio, suus ipsi contigit alter  
 Liuus, ac Salustius alter.  
 Quid tuus ille parat uates? quonam monumento  
 Faustum nigris inuidet umbris?  
 An silet

An filet, alterna cupiens recreare quiete

Longis hausta laboribus arua?

Ille quidem felix agit ocia, qualia quondam

Scipiades agitare solebat,

Vrbe procul, tacitis, solus, neq; solus, in agris

Ocia pulchri plena negoci.

Quippe inter colles, uinetá q; Gallica solus,

Parrisq; uagus errat in agris.

Sunt comites pingui gaudentes rure Camoenæ.

Illic raptus Apolline toto,

Et sese, & Musis dignum, Phœbóq; poëma

Agresti meditatur aquena.

Quale nec æquari doleat sibi Tityrus ipse,

Qui patulæ sub tegmine fagi,

Sylvestrem tenui tentabat arundine musam.

Quale trahat, camposq; pecusq;

Quale queat rigidas deducere montibus ornos,

Sistere flumina, flectere saxa,

Reddere quale queat placidos tigresq; luposq;

Quale ferros euincere manes.

Deniq; (quod proprie tecum lætabere) castum

Nulla hic Liuia, nulla Columba.

Nusquam hic formosum Corydon ardebit Alexia.

Phyllis toto in carmine nulla.

Quod neq; Sorbonæ nequeat censura probare.

Et multos habet illa Catones.

Quod

Quod neq; grammaticus teneræ dictare iuuentæ,  
 Plagosa uereatur in antro,  
 Nec tetrico Hippolytum pudeat recitare parenti  
 Felicem ter & amplius illum,  
 Quisquis Faustina dicetur arundine Gallus,  
 Vel Varus, uel Pollio quisquis,  
 Viuet, & æternum pulchro cum carmine notus.  
 Quadrifido cantabitur orbe.

EIVSDEM IN MORBO DE FATIS  
 SVIS QVERELA,



Iror, quæ mihi sydera  
 Nascenti implacido lumine fulserint,  
 O Gaguine meum decus,  
 Nam seu iure aliquo nostra negotia  
 Ignes ætherei regunt,  
 Me primum teneras lumen ad insolens  
 Aedentem querimonias,  
 Nec mitis rutilo sydere Iuppiter  
 Aspexit, neq; prospera  
 Arrisit radijs mi Venus aureis.  
 Tantum Mercurius celer  
 Adfulgens nitidis eminus ignibus.  
 Adflarat sua munera.  
 Sed stella uetus falcifer inuida,  
Vulcaniç; minax rubens.

Rivalis,

Rivalis, calidus cum gelido senex.  
Sēu tres terrigenūm deæ  
Fortunas trīplīcī numīne temperant;  
Sum durissima stamīna  
Sortitus, Volucrēm, seu potius deām  
Versare omnia credimus,  
Hanc in perniciēm certe ego deierem  
Coniurasse meām miser.  
Felicis mihi nec fata Polycratīs,  
Nec Scyllæ precor īprobus.  
Arpīnas toties consul, īnīquus  
Fortunam īsimulat suām,  
Quæ tot prospera, tot dulcia, paululo  
Fermento uitiauerit.  
Ingrate ille quidem rusticus, ac foro  
Rerum nescius utier,  
Alterius dominæ qui queritur uices.  
Sat felicem ego iudico,  
Qui præsentia lenire potest mala,  
Actis prosperius memor,  
Ac sperare iterum iam fore, quod fuit.  
At me matris ab ubere  
Fatī persequitur tristis & asperi  
Idem ac perpetuus tenor,  
In me crediderim proruit īprobi  
Pīxis tota Promethei,

P      Et quicquid

Et quicquid stabulat triste uel asperum,  
 Nigri in limine tartari.  
 Heu quid simplicibus uatibus inuidum  
 Numen, quis Genius malus?  
**Quæue infesta nouem Iuno sororibus**  
 Sic nostrum caput impedit?  
 O fatis genite prosperioribus  
 Bis Gaguine meum decus.  
 Hunc si tu minime temnis amiculum,  
 Non totus fuero miser,  
 Nec cedent grauibus pectora casibus.

ARX VVLGO DICTA  
 HAMMENSIS.

**M**Eqa sim nō magna, caue cōtēpseris hostis,  
 Arx Tarpeia Remi nō mage tuta fuit.  
 Q̄z bene defensat primū hicq sustinet ag-  
 Tū q̄ me cingit nō inamœna pal<sup>9</sup>. (ger.  
 Ista quidem omnigenos mihi cōmoda seruit in usus.  
 At subito infusis, quum uolo stagnat, aquis.  
 Iam uero, ut cesset, uigilum custodia pernox,  
 Stertat ut aërea Lynceus in specula,  
 Attamen excubias Grus officiosa diurnas  
 Intus, nocte foris peruigil Anser agit.  
 Grus neq̄ docta, nec admonita, speculantis ad æra  
 Responsans, acri clangit in astra tuba.  
 Et procul

Et procul insidias (nam præsentire uidetur)

Fida, sono uigili prodit & arcet auis.

Anser item non doctus, obit sua munia, quum fas

Pabulat, & nota ad symbola rursus adeat.

Ast ubi uicino se condidit æquore Titan,

Milite tum denso mcenia nostra subit.

Partiturq; aliquis mira arte locoq;, uicesq;

Quiūe ætate prior sorteue lectus erit.

Nec cedunt statione sua, dum rursus ab undis

Emicet, & clarum lux agat alma diem,

Adde quod hic miles tam fidus & impiger, annos

Complures, nullo iam meret ære mihi.

EPITAPHIVM ODILIAE FIGEN,

DVM IN CIMITERIO

SVB SIGNO

CRVCIFIXI.



Epulta uiuum te salutat Odilia.

Quid ad sepultæ uerba mox fugit color?

Viuum saluto uiua, quur lubitum est rei

Placidæ bonæq; dira dare uocabula?

Mala uita mors est, & sepulchrum, & inferi.

Vna hæc tibi timenda, si mortem times.

Nam quod uocant mori, est prijs renascier.

Nostrî peribit nihil, & haud pilus, nisi

P 2 Perit

Perit, feraci semen abditum scrobe,  
Mox se benigno redditurum fœnore.  
Si rem putaris, quid mori est, nisi seri?  
Condī sepulchro, quid? nisi occari sata?  
Iamq; in propinquō est ille fatalis dies,  
Quum uere nostro flantibus Fauonijs  
Rediuiua putri pullulabunt è cauo.  
Moxq; emicabit lœta corporum seges.  
Quorum uiros perennis, haud unq; amplius  
Marcescat, hanc in spem fidelis interim  
Sopita gremio terra seruat fragmina.  
At mens caducis expedita uinculis  
Inuisa quanquam, uiuit, ac te cominus  
Sentit, uidetq; tripli discrimine  
Vitæ anteactæ merita carpens præmia,  
Messem q; pro semente quam fecit metens.  
Bona pars relictis artubus circumuolans  
Captat, pias hâc commeantium preces.  
Ut à luendis expiata noxijs,  
Quas terreo contraxit è contagio  
Iam pura purum adire possit æthera.  
Has flagitato subleua precamine,  
Memor, uices te mox manere mutuas.  
Pendentis alto uictimæ de stipite  
Mors obsecranda est, obsecranda uulnera,  
Hoc fonte, si quod efficax piaculum,

Viuiosc;

Vivisq; manat, manat hinc & mortuis.  
 Si porro properas, tum precatus uerbulo  
 Lucem & quietem, perge cursum, te quoq;  
 Para sepulchro, mox sequuturus. uale.

EIVSDEM QVERELA DE FI-  
 LIO SVPERSTITE.

**D**icitū erat ad sacras mihi nomē Odilia lym  
 Idq; mei solū, iā superesse uides. (phas.  
 Cætera mors rapuit, cineres atq; arida tan  
 Terra parēs gremio cōfouet ossa suo. (tū  
 Quid tibi te dignum, nisi te mors sœua precemur  
 Scindere cui cordi est, quæ bene iunxit amor?  
 Iam nihil est charam à membris diserpere uitam  
 Quiddam etiam dulci dulcius est anima.  
 Tu potes à gnato dilectam auellere matrem,  
 Impia, uel centum rumpere uinda potes,  
 Quos natura potens, te præter in omnia uictrix  
 Mutua quos pietas, quos ita rara fides.  
 Quos mores placiti, & dulcis concordia uitæ  
 Tam bene, tam multis nexibus unierant,  
 Hostu ut distraheres tollis, sine pignore matrem  
 Atq; ita pars melior orba relicta mei est.  
 Sed bene, qd' mors nostra scidit, tua CHRISTE resar,  
 Plusq; boni reddit, q; dedit ista mali. (cit

P 3 Respondet

RESPONDET FILIUS SVB PI-  
 CTVRA CHRISTI CRV/  
 CIFIXI MOYSI ET  
 SERPENTIS .



Ita fugax haud lóga dedit diuortia nostri,  
 En mors æqua tibi, qd' tulit ipsa refert.  
**V**na duos pietas uiuos bñ iúxerat, ut nūc  
 Amborū cineres una recondit humus.  
 Amborum, uultus tabula uisuntur eadem,  
 Subripuit leto hoc ingeniosa manus.  
 At tu spectator, sortis memor omnibus æquæ,  
 Hæc saltem ex animo fundito uota sitis.  
**C**HRISTE necis domitor ac uitæ perpetis autor,  
 Iugem animis uitam morte repone tua.  
 Tu sacra illa silex, teretis quæ uerbere uirgæ  
 Vitaleis scatebras gentibus ista dedit.  
 Tuq; salutiferum serpentis in arbore signum,  
 Quod ueteris colubri cuncta uenena domat.  
 Quin hodiéq; prijs uitæ fons ille perennis  
 Pectore defosso sanguis & unda scatet.  
 Ille dat exanimes reduci recalescere flatu  
 Hæc animæ maculas abluit omnigenas.  
 His age muneribus dulci cum pignore matrem  
 In dextrum referens assere **C**HRISTE gregem,  
 In filiam

IN FILIAM BEKAE QVOD SONAT  
RIVVM LINGVA NOSTRATE.



Vm Gulielma, pre Arnoldo cognomine  
Iuris fos gemini, no mo riuerat. (Beka, is  
Cui gener Antoni placuisti ex omib<sup>9</sup> un9,  
Isbrandum referens ore animoqp patre.

Nec minus est mea uita tibi, quam forma probata,

Templa, domus, proles, hac mea cura fuit.

Quatuor enixam pueros totidemqp puellas,

Mors rapit, intra æui septima lustra mei.

Lector age huic requiem, cineriçp, animæçp precatus,

Viue diu, imo diu est hic nihil, ergo bene.

## EPITAPHIV M MARGARETAE HONORAE.

Hic sita Margareta est, merito cognomine Honora,

Fiscini tedis digna Guihelme tuis

Quam bene congruerant, & forma, & pectus, & anni,

Et ne morte quidem dissoluendus amor.

Rapta sed est uiridis primæuo in flore iuuentæ,

Vt rosa lacteolis semadaperta comis.

Dimidius superest dulci sine coniuge coniunx

Moerens, ut uiduus compare turtur aue.

## EPISCOPO TRAIECTENSI DAVID

## NOTHO PHILIPPI DVCIS

## BORGONDIONVM.

Ic situs est præsul, no tatu nomine Dauid,

Digna patre, ples magne Philippe tua.

Iste



Iste gregem plusq; patria pietate fouebat,  
Pacis amans, uirtuti ingenijsq; fauens.

EIDEM.

Hic Dauid ille duci proles iactanda Philippo,  
Commissum patrio fouit amore gregem.

IACOBO BATTO, græco dīmetro lambico.

Ιάκωβε βάττε θάρσος  
καλῶς θανῶμ παλιμφύε.

I IDEM LATINI VERSVS.

Iaco be Batte ne time,  
Bene moriens renascitur.

IN TERGO CODICIS BATTICI.

Sum Battii, qui me manibus subduxerit uncis  
Huic ne quo Battus defuat opto loco.

DVO SALINA ARGENTEA ABBATI CVI-  
dam dono missa, à monialibus, monasterij,  
uulgo dicti, uallis uirginum.

Virginea de ualle, duo sine labe salilla  
Adsumus, hanc mensam non nisi pura decent.

IN ALTERO SALINO.

Virginitas nitor argenti, sapientia sal est.

Virgo dat argentum, tu pater adde salem.

IN SEX TINTINABVL A RESTITVTA,  
quæ fulmine conflagraran.

Concinimus sex æra, at ego cui maxima uox est  
Alpha & Triadi rite dicata uocor.

Nos

Nos, ædemiq; sacram, Scasti pia cura Girardi,  
Præsul's, absumptam fulmine restituit.

IN TINTINABVLVM MARIAE SACRVM;  
Aenea mi uox est, ac sic nulla ænea uox est;  
Vt par Christiparæ laudibus esse queat.

## IN IDEM.

Maria nomen inditum est mihi mutuum,  
Qua trinitati nil sedet uicinius.

TER TIVM BAPTISTAE SACRVM.  
Vox clamantis erat, cuius gero nomina plebem  
Ad CHRISTI cultum nocte diéq; uoco.

QVARTVM PETRO SACRVM.  
Petro sacra fugo cacodæmonas, arceo fulmen,  
Funerāq;, & festos cantibus orno dies.

QVINTVM MAGDALENÆ  
SACRVM SCAZON.

Sum Magdalena, iuuit impium fulmen,  
Meliora quando cuncta dat pius præsul.

SEXTVM OMNIBVS SANCTIS SACRVM.  
Exilis mihi uox, sed quæ ferit eminus aures,  
Dat mihi cælicolūm nomina tota cohors.

## ALITER.

Non mihi Dodones, non æra prophana Corinthi  
Certent, nam cunctis tinnio cælitibus.

IN AVLICVM QVENDAM CLE  
RO INFESTVM.

Vrsalus ecce Midas, sed Lydo stultior illo  
Se properat quo quis nobilitare modo.

Q Et furit

Et furit in clerum, capit hinc exordia famæ,  
 Ecce Mida subito uertitur in Phalarim.  
 Sic quondam exusto peperit sibi nomina templo  
 Credo autor generis græculus ille mali.  
 Tam stolidam mentem nullis aboleueris undis.  
 At rabiem solus tollere mucro queat.

## IN EVNDEM.

Tam stolidum credo, nec te Mida pectus habebat  
 Malce nec in clerum tam uiolentus eras,  
 Quàm quidam, non est sententia dicere nomen,  
 Nam famam affectat qualibet ille uia.  
 Huic utinam aut aliquis asininas addat Apollo  
 Aut ambas Petrus demetat auriculas.  
 Aut certe crepet ipse magis, faciatq; paterni  
 Quod cognomenti syllaba prima monet.

## IN EVNDEM.

Bacchanti in clerum tibi dixerat Vrsale quidam  
 Et ius Cæsareum lædier atq; sacrum.  
 Hic tu ridebas hominem multumq; diuq;  
 Et merito, quid enim hoc stultius ac leuius?  
 Qui præter tibi iura coqui notissima iuris  
 Auditum nomen crederet esse aliud.

## IN PICTVRAM FABVLAE GIGANTEAE.

En stolida sine patre sati tellure Gigantes  
 Montibus accumulant montes, ipsumq; minantur  
 Cælicolûm regem supera detrudere ab arce.

Sed

Sed male uæsanæ cedent sine pectore uires:

## IN EOSDEM FVLMINA DEPVLSOS.

Iuppiter extractas disturbat fulmine moles  
 Ignibus inuoluens rapidis, monteisq; uirosq;  
 Sic sic uis sine consilio, sic impia facta  
 Præcipitata ruunt superis ultioribus usq;

## IN TABVLAM PENTHEI TRVCIDATI.

Penthea cernis Echioniden.

Hospitis Orgia qui Bromij

Spreuerat, impius ecce deo

Vindice iam malefacta luit.

Matri enim, Orgiadumq; manu,

Dum fera creditur esse, perit.

Quam sceleri bene pena suo

Congruit, & mala digna malis.

## IN PICTVRAM EVROPÆ STVPRATAE.

Hic qui à monte boues ad proxima littora uertit,

Aurea te, quis sit, uirga monere potest.

Tum testes alæ, neq; non talaria, testis

In flavo bicolor crine galerus erit.

Si rogitas quid agat, patrio subseruit amori,

Inscius, obsequio, furta dolosa tegens.

Raptor enim niuei latitat sub imagine tauri

Improbis, ac prædam per freta longa uehet.

Vt Cretam attigerit, mox taurus desinet esse

Iuppiter. & uirgo non erit ista diu.

Q      Quid

Quid non cæcus amor mortalia pectora cogat,

Si taurum æthereum non piget esse Iouem:

Aut quæ formosis satis est cautela puellis,

Hic quoq; stuprator si metuendus erat;

IN FRONTE LIBELLI DONO MISSI EPI  
SCOPO ATREBATENSI. SCAZON.

Auibus sequundis uade charteum munus,

Exile quanç te breuis dicat uates.

Liceat modo placere Præsuli docto.

Precio lapillos uiceris & Erithreos.

IN FRONTE LIBELLI DE IMPERA  
TORIA MAIESTATE.

Christianum orbem tuenti qui fauetis Cæsari,

Huic fauebitis libello, qui tuetur Cæsarem.

IN FRONTE ODARVM GUILIELMI.

Huc, siquidem pia, si pudica Musa

Delectat, nihil hic uel inquinatum.

Vel quod melle nocens tegat uenenum.

CHRISTVM tota sonat chelis Guihelmi.

IN FRONTE LIBELLI BVSLIDIO  
DONO MISSI.

Non ego Buslidiae decus adfero bibliothecæ,

Sed decus apponit bibliotheca mihi.

IN FRONTE ALTERIVS.

Non equidem ornabis tu Antoni bibliothecam.

Te magis ornabit bibliotheca liber.

In cæcum

IN CAECVM TRAGOEDIARVM  
CASTIGATOREM.

Quir adeo lector crebris offendere mendis?

Qui castigauit, lumine captus erat.

## SVB PICTVRA VVLTVS CHRISTI.

Hic intuetur & intimos mentis sinus.

Fac tota niteant pectoris penetralia.

AGIT CARMINE GRATIAS PRO-  
MISSO MVNERE.

Antistes sacer elegantiorum, ac

Princeps Carmiliane literarum,

Enuersus tenuis tibi Poëta

Hos pro munere splendido rependit.

Hoc est scilicet, ære mutat aurum.

At quid tandem aliud deis uel ipsis,

Gratus sed tenuis referre uates

Possit, quam numeros modosq; uerum

Largiri numeros tibi Petre, hoc est

Syluae ligna, uago mari addere undas.

## IN FRONTE ENCHIRIDII.

Nil moror aut laudes, leuis aut conuicia uulgi,

Pulchrum est uel doctis, uel placuisse pñs.

Spe quoq; maius erit mihi si contingat utruncq;.

Cui CHRISTVS sapit, huic si placeo, bene habet.

Vnicus ille mihi uenæ largitor Apollo,

Sunt Helicon huius mystica uerba meus.

Q ; Libellus

## LIBELLVS DONO MISSVS

Mittere quicquid uerear magno leue munus amico

Quum capiant summos thuscula pauca deos.

IOANNI OKEGO MUSICO SVM-  
MO, EPITAPHIVM.

Ergo ne conticuit  
 Vox illa quondam nobilis,  
 Aurea uox Okegi:  
 Sic musicæ extinctum decus?  
 Dic age, dic fidibus  
 Tristes Apollo naenias.  
 Tu quoque Calliope  
 Pullata cum sororibus  
 Funde pias lachrymas.  
 Lugete, quotquot musicæ  
 Dulce rapit studium,  
 Vitumque fert laudibus.  
 Artis Apollineæ  
 Sacer ille Phœnix occidit.  
 Quid facis inuida mors?  
 Obmutuit uox aurea  
 Aurea uox Okegi.  
 Vel saxa flectere efficax,  
 Quæ toties liquidis  
 Et arte flexilibus modis  
 Per sacra tecta sonans,

*Demulcet*

Demulxit aures cælitum  
 Terrigenūmq; simul  
 Penitusq; mouit pectora?  
 Quid facis inuida mors?  
 Vel hoc iniqua maxime,  
 Aequa quod omnibus es.  
 Sat erat tibi promiscue  
 Tollere res hominum,  
 Diuina res est Musica  
 Numina quiru uolas?

## HENRICI EPISCOPI CAMERACEN

## SIS EPITAPHIVM.

Henricus hic est, Bergicæ Stirpis decus,  
 Qui laude morum auita uicit stemmata.  
 Gregis salute nil habuit antiquius,  
 In quem pius paterna gessit uiscera.  
 Hic incitatus amore miro cælitum,  
 Iacobe sedem uisit impiger tuam,  
 Arceūmq; Petri uisit, & Solymas sacras.

## DE EODEM.

Berganæ Stirpis septem de fratribus unum  
 Condidit Henricum hoc inuida Parca loco.  
 Ille gregis Cameracini præsulq; paterq;  
 Cui simul & patriæ non sibi natus erat,  
 Bisq; Iacobæam uisit pius aduena sedem,  
 Dehinc Romā, & Solymas uectus adusq; sacras,  
 Sic

Sic pietate uagus, uirtute grauissimus, æuum  
 Exegit felix & sine labe suum.  
 IN MAGNATEM QVENDAM, SED  
 FICTO NOMINE, QVI LAVDES  
 SVAS EXIGVO MVNVSCV/  
 LO PENSARAT.



Orrexit errorem meum  
 Lepide Marullus, nam mihi  
 Laudatus æquo largius  
 Nimium pusillo prodigum

Vate in redonat munere.  
 Ò pectus, ò memorabilem,  
 Huius modestiam uiri.  
 Non uult cani, quæ non facit,  
 Vult & sileri quæ facit.  
 Proin pudendis præmis  
 Inuitat ad palinodiam.  
 Inuitat ad silentium.  
 Non suadet hoc frugalitas  
 Tenaxq; Parsimonia,  
 Quum sannionibus quoq;  
 Foediscq; Morionibus  
 Prolixa donet munera.  
 Quod ista donat uatibus,  
 Quæ dare minus q; nil dare est,  
 Pudore non uitio facit.

Ode

ODE DICOLOS, DISTROPHOS, ALTERO  
uersu Heroico Hexametro, altero Iambico

Dimetro. De casa natalitia pueri

IESV, deçz paupere puerperio

uirginis deiparæ Mariæ.



Cquid adhuc ueterū sequimur spectacula

Huc huc frequentes currite. (rerū:

Hæc casa, quæ lacera & stat agrestibus hor

Nouum dabit spectaculum. (rida culmis,

Quale nihil sædis proauii uidere uetus istis,

Nihil uidebunt posteri.

Hic cuius tonitru tellusç tremiscit & æther,

Teneris crepat uagitus.

Hic orbis magni moderator maximus infans

Virginea mulget ubera.

His ego non stabulis augusta palatia Romæ

Feliciora iudicem.

Non (operosa licet) Solomonia templa, nec auream

Lydi tyranni regiam.

Salue clara domus, cæloç beatior ipso,

Partus sacrati conscia.

Iure tibi Louis inuident Capitolia falsi,

Diuis superba saxeis.

Aegyptus sancta inuideat cunabula, monstros

Finem datura turpibus.

R Nec

Nec minus apta deo es, quod hiantibus undiq; rimis  
 Imbres & Euros accipis.  
 Quod Iodicis egens, rigidoq; incommoda feno  
 Fœtus rubenteis excipis.  
 Talia nascentem decuere cubilia CHRISTVM, ut  
 Qui dedocere uenerit  
 Fastum, nullaq; non suadentem turpia luxum.  
 Non hic renident purpuræ,  
 Sertá ue frondea, non imitantes fulmina tædæ,  
 Non mensa sumptuosior,  
 Nec strepit officijs domus ambitiosa, nec alti  
 Fouent puerperam thori.  
 Pannosus iacet in duris præsepibus infans.  
 Diuinus attamen uigor  
 Emicat, & patrios uagitu dispuit ignes.  
 Sensere præsentem deum,  
 (Quodq; licet) puero iumenta tepentibus auris  
 Frigus decembre temperant.  
 Vpilio calamis ijsdem, quibus ante capellis,  
 Agreste, sed pium canit.  
 Aethereiç; chori uolitant cunabula circum,  
 Ut mensibus uernis, apum  
 Degenerem simul ac pepulere examina regem,  
 Regi nouo, fauentibus  
 Applaudunt alis, sublimemq; agmine tollunt.  
 Sic turma cælitum duci

Circumfusa

Circumfusa suo, gaudens stupet, atq; iacentem  
Pronis adorat uultibus,

Et natalitium sonat ad præsæpia carmen.

Coniux pudicus interim,

Fusus humi, magnum trepidus ueneratur alumnum.

Porrò puella, nobilis

Pars bona spectaci, defixis haeret ocellis,

Primumq; sese non capit,

Séq; suumq; stupens genitrix uirguncula partum.

Nulli marito debitum.

At simul eiecit pietas materna stuporem,

Prædulce pignus corripit,

Ac modo porrectis prohibet uagire papillis,

Modo tepente frigidum

Blanda fouet gremio, paruisq; dat oscula labris.

Nunc pectori adprimit suo,

Nunc bleso tenefos inuitat murmure somnos,

Amabili inuicem modo.

Lætam prole deo uideas gestire parentem,

Prolem parente uirgine.

DES. ERASMI ROTERODAMI EXPOSTV/

LATIO IESV CVM HOMINE SVA

PTE CVLPA PEREVNTE.

Vm mihi sint uni bona, quæ uel fródea tel

Vel olympus íngens continet, (lus,

R 2 Dicite



Dicite mortales, quæ uos dementia cepit?  
 Hæc aucupari ut unde uis  
 Malitis, quām de proprio depositare fonte,  
 Adeo benigno, & obuio:  
 Mendacesq; iuuet trepido, miseroq; tumultu  
 Vmbras bonorum persequi?  
 Pauci me, qui sum ueræ largitor & autor  
 Felicitatis, expetant?  
 Forma rapit multos, me nil formosius usquam est.  
 Formam ardet hanc nemo tamen.  
 Suspiciunt ceras, antiquaq; stemmata multi,  
 At me quid est illustrius?  
 Ut qui sim genitore deo deus ipse profectus,  
 Genitrice natus uirgine.  
 Vnde fit, ut mecum uix gestiat unus & alter  
 Affinitatem iungere?  
 Maximus ille ego sum cæliq; soliq; monarcha,  
 Seruire nobis cur pudet?  
 Diues item, & facilis dare magna, & multa roganti.  
 Rogari amo, nemo rogat.  
 Sumq; uocorq; patris summi sapientia, nemo  
 Me consultit mortalium.  
 Ipse ego sum ætherei splendorq; decusq; parentis.  
 Me nemo stupet, aut suspicit.  
 Sum firmus iuxta, ac iucundus amicus amico.  
 Me pariter, ac meas opes.

Candidus.

Candidus, atq; lubens charis impertio, nemo hanc  
Ambit necessitudinem.

Sum uia qua sola celi itur ad astra, tamen me  
Terit uiator infrequens.

Cur tandem ignarum dubitat mihi credere uulgas?  
Aeterna cum sim ueritas.

Pollicitis cur stulte meis diffidere perstas?  
Cum sit nihil fidelius.

Autor ad haec uitae cum sim unicus, ipsaç; uita  
Cur sordeo mortalibus?

Lux ego sum, cur huc uertunt sua lumina pauci?  
Dux, cur grauantur insequi?

Viuendi recte certissima regula solus,  
Aliunde formas cur petunt?

Ipse ego sum solus uera, & sine felle uoluptas,  
Quid est quod ita fastidior?

Vnica pax animi, quin huc deponitis ægri  
Curas edaces pectoris?

Si benefacta truces etiam meminere leones,  
Referuntç; beluaç; uicem,

Respondere feri merito didicere dracones,  
Si meminit officij canis,

Si redamant aquilæ, redamant delphines amantem,  
Cur efferacior feris,

Me me non redamas homo? cui semel omnia feci,  
Quem condidi, quem sanguine

R; Afferui

Afferui proprio, propriæq; à morte recepi  
Dispendio uitæ uolens.

Si bos agnoscit dominum, si brutus asellus  
Agnoscit altorem suum,

Cur me solus homo male gratus, nosse recusas,  
Et conditorem, & vindicem?

Vnus ego hictibi sum cunctorum summa bonorum?  
Quid est quod extra me petas?

Quorūm distraheris per tot dispendia graffans  
Laboriosa inertia?

Sum placabilis, & pronus miserescere, quin hoc  
Miser ad asylum confugis?

Idem iustus, & implacabilis ultior iniqui,  
Cur non times offendere?

Corpus ego, atq; animum nutu sub tartara mitto,  
Nostrī metus uix ullum habet.

Proinde mei desertor homo secordia si te  
Adducet in mortem tua,

Præteritum nihil est, in me ne reijce culpam,  
Malorum es ipse autor tibi.

Nam quid adhuc superest? si te neq; prouocat ardens,  
Suiq; prodiga charitas,

O bis marmoreum pectus, neq; mitigat unquam  
Adeo profusa benignitas,

Si neq; tantarum uel spes certissima rerum  
Expergefacit, & allicit.

Si neq; tartareæ cohibet formido gehennæ,

Nec

Nec ullus admonet pudor,  
 Immo si durant magis hæc, adduntq; stuporem  
 Tam multa, tamq; insignia,  
 Ut facile immanesq; feras, chalyberiq; petraeinq;  
 Rigore uicto moliant.  
 Quid faciat pietas, quibus artibus abstrahat ultro  
 Deuota morti pectora?  
 Inuitum seruare, nec est mentis, puto, sanæ,  
 Et patria prohibet æquitas.

## CARMEN IAMBICVM.

**N**on inuenusto antiquitas ænigmate  
 Studij magistram uirginem  
 Finxit Mineruam, ac literarum præsides  
 Finxit Camœnas uirgines.  
 Nunc ipse uirgo matre natus uirgine,  
 Præsideo uirgineo gregi.  
 Et sospitator huius, & custos scholæ.  
 Adsunt ministri uirgines,  
 Pueros meos mecum tuentes angeli.  
 Mihi grata ubiq; puritas,  
 Decetq; studia literarum puritas.  
 Procul ergo sacro à limine  
 Morum arceant mihi literatores luem,  
 Nihil huc recipiant barbarum.  
 Procul arceant illiteratas literas,  
 Nec regna polluant mea.

Sapphicum.

## SAPPHICVM



Oeperit faustis auibus precamur,  
Semper augescens meliore fato,  
Hic nouæ sudor nouus officinæ.

Auspice IESV.

Hic rudis (tanquam noua testa) pubes  
Literas Graias, simul & Latinas,  
Et fidem sacram, tenerisq; CHRISTVM  
Combibet annis.

Quid fuit læta sobolem dedisse  
Corporis forma, nisi mens & ipsa  
Rite singatur, studijsq; castis  
Culta nitescat?

Stirpe ab hac sensim noua pullulabit  
Ciuium proles, pietate iuxta, ac  
Literis pollens, breuiterq; regno  
Digna Britanno.

Ludus hic syluae pariet futuræ  
Semina, hinc diues nemus undequaque  
Densius surgens decorabit Anglum  
Latius orbem.

IMAGO PVERI IESV IN LVDO LITE-  
ratio, quem nuper instituit Coletus.

Discite me primum pueri, atq; effingite puris  
Motibus, inde pias addite literulas.

Carmē

## CARMEN PHALECIVM.

Sedes hæc pueru sacra est IESV.  
 Formandis pueris dicata. quare  
 Edico, procul hinc facessat, aut qui  
 Spurcis moribus, aut ineruditâ  
 Ludum hunc inquinet eruditione.

ALIVD.

Quin hunc ad puerum pueri concurritis omnes?

Vnus hic est uitæ regula, fonsq; piæ.

Hunc qui non sapiat, huius sapientia stulta est,

Absq; hoc uita hominis mors (mihi crede) mera est.

## CHRISTIANI HO-

MINIS INSTITVTVM ERASMI

ROTERODAMI.

Ad Galat. Quinto. Valet in CHRISTO fides,  
 quæ per dilectionem operatur.

FIDES.

## CREDO. PRIMVS ARTICVLVS.

Confiteor primum ore pio, uenerorq; fideli  
 Mente deum patrem, uel nutu cuncta potentem.  
 Hunc, qui stelligeri spacioſa uolumina cæli,  
 Et ſolidum omniparæ telluris condidit orbem.

S. Et in

## E T I N . I E S V M . II.

Eius item gnatum IESVM, cognomine CHRISTVM.  
Quem dominum nobis agnoscimus ac ueneramur.

## Q V I C O N C E P T V S . III.

Hunc MARIA afflatu diuini numinis, aluo  
Concepit uirgo, peperit purissima uirgo.

## P A S S V S S V B P O N T I O . IIII.

Et graue supplicium immeritus damnable Pilato  
Pertulit, infami suffixus in arbore mortem  
Oppetiit, tumulatus homo est, claususq; sepulchro.  
Interea penetrat populator ad infera regna.

## T E R T I A D I E . V .

Mox ubi tertia lux mœsto se prompserat orbi,  
Emersit tumulo, superas rediuitus in auras.

## A S C E N D I T . VI.

Inde palam ætheream scandit sublimis in arcem  
Illic, iam dexter patri assidet omnipotenti.

## I T E R V M V E N T V R V S E S T . VII.

Idem olim redditurus, ut omnem iudicet orbem,  
Et uiuos pariter, uitacq; ac lumine cassos.

## C R E D O I N S P I R I T V M . VIII.

Te quoq; credo fide simili spirabile numen  
Halitus, afflatusq; dei sacer, omnia lustrans,

## S A N C T A M E C C L E S I A M . IX.

Et te confiteor sanctissima concio, qua gens  
Christigena arcano nexu coit, omnis in unum

Corpus,

**Corpus, & unanimis capiti sociatur IESV.**

**Hinc proprium nescit, sed habet communia cuncta.**

REMISSIONEM PECCATORVM. X.

**Hoc equidem in coetu sancto, peccata remitti**

**Credo, uel ijs' sacro fuerint qui fonte renati.**

**Vel qui diluerint ultro sua crimina fletu.**

CARNIS RESVRRECTIONEM. XI.

**Nec dubito, quin exanimata cadauera sursum**

**In uitam redeant, animas sortita priores.**

VITAM AETERNAM. XII.

**Vtraq; pars nostri corpusq; animusq; deinceps**

**Iuncta simul, uitam ducent sine fine perennem.**

SACRAMENTA. VII.

**Hoc quoq; persuasum est, ecclesia mystica septem**

**Munera dispensat, quæ sacramenta uocantur.**

**Hinc uariæ dotes, & gratia plurima menti**

**Calitus inferitur, si quis modo sumpserit apte.**

ORDO. I.

**Ordine nanq; sacro, confertur sacra potestas**

**Vt fungare ministerijs, CHRISTO auspice, sanctis.**

MATRIMONIVM. II.

**Munere coniugij natu hunc prodimus in orbem,**

**Vscq; adeo pulchri, pulcherrima portio, mundi.**

BAPTISMVS. III.

**Munere baptismi longe felicius ijdem**

**Qz prius, in te CHRISTE renascimur, atq; nouamur.**

S : Confirmatio

## CONFIRMATIO. III.

Deinde in amore dei, nos confirmatio sacra  
Constabilit, mente m̄q; inuicto robore durat.

## EVCHARISTIA. V.

Mysticus ille cibus (Græci dixerunt synaxin)  
Qui panis uiniq; palam sub imagine, CHRISTVM  
Ipsum presentem uere exhibit, intima nostri  
Viscera, caelesti saginat, & educat esca,  
Inq; deo reddit uegetos, & reddit adultos.

## POENITENTIA. VI.

Si quem forte deo capitalis reddidit hostem  
Noxia, continuo metanca medebitur illi.  
Restituet lapsum, rescissaque foedera rursum  
Sarciet, offensi placabit numinis iram,  
Commissi modo poeniteat, pīgeatque nocentem,  
Isque uolens peragat præscripta piamina culpæ.

## VNCTIO. VII.

Vnguinis extremi munus nos munit, & armat,  
Migranterque animam per summa pericula, tuto  
Transmitit patriæ, & superis commendat euntem.

## AMOR DEI.

Hæc est indubitata fides, cui pectore certo  
Nixus, amabo patrem super omnia cunctipotentem,  
Qui me condideritque, & in hunc produxerit orbem.  
Rursus amore pari dominum complectari IESVM,  
Qui nos asseruit, precioque redemit amico.

Spiritum

Spiritum item sanctum, qui me sine fine benigno.  
 Afflatu souet, atq; animi penetralia ditans.  
 Dotibus arcanis, uitali recreat aura.  
 Atq; hic ternio sanctus, & omni laude serendus,  
 Toto ex corde mihi, tota de mente, supremis  
 Viribus, obsequio, meritóq; coletur honore.  
 Hunc unum reuerebor, & hoc semel omnis in uno  
 Spes mea figetur, hoc omnia metiar uno.  
 Hic propter se mihi semper amabitur unus.  
 Post hunc haud alia ratione, ac nomine charus  
 Ipse mihi fuero, nisi quatenus omnis in illum  
 Ille mei referatur amor, fontemq; reuusat.

## FUGA PECCATI

Culpam præterea fugiam pro uiribus omnem,  
 Præcipue capitale tamen uitauero crimen.  
 Quod necat atq; animam letali uulneret ictu.

## SVPERBIA. INVIDIA. IRA.

Ne fastu tumeam, ne uel liuore maligno  
 Torquear, aut bili rapiar seruente, cauebo.

## GVLA. LVXVRIA. PIGRITIA.

Ne uel spurca libido, uel insatiabilis aluus  
 Imperet, enitar, ne turpis inertia uincat.

## AVARITIA:

Ne nunquam saturanda fames me uexet habendi,  
 Plus satis ut cupiam fallacis munera mundi.

S ; Fuga

## FUGA MALORVM HOMINVM.

Improba pestiferi fugiam commertia cœtus  
Omnia, summo animi conatu, próq; uirili.

## STUDIVM PIETATIS.

Atq; huc incumbam neruis ac pectore toto,  
Ut magis atq; magis superet mihi gratia, uirtus,  
Augescatq; piæ diuina scientia menti.

## ORATIO.

Orabo, supero sc̄p; precum libamine puro  
Placare adnitar, cum tempore sedulus omni,  
Tum uero eximie, quoties lux festa recurret.

## FRVGALITAS VICTVS.

Frugales epulæ semper, mensæq; placebit  
Sobria mundicies, & auari nescia luxus.

## IEIVNIVM.

Seruabo reuerens, quoties ieunia nobis  
Indicit certis ecclesia sancta diebus.

## MENTIS CVSTODIA.

Sancta uti sint mihi secretæ penetralia mentis.  
Ne quid eò subeat foedum ue, nocens ue, studebo.

## LINGVAE CVSTODIA.

Ne temere iuret, ne unquam mendacia promat,  
Turpia ne dictu dicat mea lingua, cauebo.

## MANVS CVSTODIA.

A furto cohibebo manus, nec ad ulla minuta  
Viscatos mittam digitos, & si quid ademptum

Cuiq;

Cuiquam erit, id domino properabo reddere iusto.

RESTITUTIO REI FORTE REPERTAE.  
Id quoq; restituam, si quid mihi forte repertum est.  
Me penes haud patiar prudens aliena morari.

## AMOR PROXIMI.

Nec secus atq; mihi sum charus, amabitur omnis  
Proximus, est autem (ni fallor) proximus ille  
Quisquis homo est, ac sic ut amor referatur amici  
In CHRISTVM, uita m<sup>q</sup>; piam, uera m<sup>q</sup>; salutem,  
Huic igitur fuerit quoties opus, atq; necesse,  
Sedulus officio corpusq; animu m<sup>q</sup> iuuabo,  
Ut mihi succurri cupiam, si forsan egerem.  
Id tamen in primis præstabo utriq; parenti,  
Per quos corporeo hoc nasci mihi contigit orbe,  
Tum præceptorí, qui me erudit, instituitq;  
Morigerus fuero, ac merito reuerebor honore.  
At rursusq; dulcisq; scholæ, studijc; sodales,  
Semper (uti par est) sincero amplectar amore.

## ASSIDUA CONFESSIO.

Si quando crimen fvero prolapsus in ullum,  
Protinus enitar, pura ut confessio lapsum  
Erigat, ac iusta tergatur noxia poena.

SYMPTIO CORPORIS CHRISTI IN VITA.  
Ast ubi sacrati me ad corporis atq; cruoris  
Cælestes epulas pietasq; diesq; uocabit,  
Illotis manibus metuens accedere, pectus

Ante

Ante meum, quanta cura, studiōq; licebit,  
Purgabo maculis, uirtutum ornabo nitelis.

## MORBVS.

Porro ubi fatalis iam terminus ingruet æui,  
Extremumq; diem cum morbus adesse monebit,  
Mature sacramentis me armare studebo,  
Atq; his muneribus, quæ ecclesia sancta ministrat  
Christigenis, reteget confessio criminæ uitæ  
Sacrifico, sumam CHRISTI uenerabile corpus.

## MORS:

Quod si uicinæ proprius discrimina mortis  
Urgbunt, supplex accersam qui mihi rite  
Oblinat, ac signet sacro ceromate corpus.  
Atq; his præsidijs armatus, sic uti dignum est  
Christicola, forti ac fidenti pectore, uita  
Decedam, bonitate dei super omnia fretus.

HOC FAC ET VIVES.

IN LAVDEM MICHAËLIS ET ANGE  
lorum omnium, Ode dicolos hendecasyl-  
laba Sapphica, suffigenda in tem  
plo Michaëli sacro.



Aelitum princeps Michaële, & omnes  
Spiritū sacri, libeat precamur  
Supplicum uotis tribuisse pronas  
Cælitus aures.

Sordidæ,

Sordidæ sed ne merito canentum  
 Sordeant odæ, citus huc ab arce  
 Deuolet fulgente, Seraph decoris

Igneus alis.

Qui foco sacro usq; calentis aræ  
 Calculum uiuum rapiens (ut olim)  
 Applicet nostris placidus labellis

Oraç; tergit.

Luridæ quicquid maculæ perurat,  
 Desidem pellens animo teponem.  
 Igneas cantent acies (ut æquum est)

Ignea uerba.

Porro tu primas tibi uendicato  
 Carminis partes Michaël beate,  
 Primipilarī duce quo triumphant

Agmina cæli.

In quibus luces, itidem ut Pyropus  
 Nobiles inter radiat lapillos,  
 Vt ue formosus socia inter ardet

Lucifer astra.

Ius tibi summum necis atq; uitæ,  
 Tradidit magni moderator orbis.  
 Tu potes seruare probos, & idem

Perdere sontes.

Tu piorum tutor & aduocatus,  
 Tu dei in templo nitidas ad aras,

T. Visus

Visus es dextra tenuisse plenam

Thuris acerram.

Inde surgens fumus odore multo,

Ibat ad summi solium tonantis,

Ac dei nares liquidi iuuabant

Dona uaporis.

Tu pias lætis animas reponis

Sedibus cantu procul audiendo

Squalidis olim gelida exciebis

Funera bustis.

Quàm dedit lætos pia turba plausus,

Cum graui cælum quateret ruina,

Hostis & serpens ueterator, acri

Non sine pugna.

Illi sublimes subito sub auras

Emicans, septem (stupuere cuncti)

Ora tollebat, colubris tumebant

Colla trecentis.

Flammeis ardens oculis, auernum

Virus efflabat furiale monstrum,

Fulminisque instar, piceos uomebat

Faucibus ignes.

Te nihil terret rabies minacis

Beluæ, sed ui domitam superna,

Cogis absorptam, superas ad auras

Reddere prædam.

Quæ

Quæ tuas fuluas fugitat sub alas  
 Læta, præsentि sed adhuc periclo  
 Palpitans, elapsa uelut rapaci

Ales ab ungui.

Ergo ne quid iam trepident, cadauer

Triste deturbas, labat ac labantis

Pondus exhorrens, aperit profunda

Tartara tellus.

Non secus, quam si Siculo Peloro

Pendulum in fluctus abeat cacumen,

Territum cedit, refluumq; late

Dissilit æquor.

Ferreis illic domitus catenis,

Horridum quassat caput, ac minatus

Multa nequicquam, furibundus iras

Voluit inanes.

Te manet palma o Michael supraea.

Te noui plausus, tibi non iniquas

Impius poenas dabit Antichristus,

Orbe leuato.

Lætus idcirco meritos uterq;

Orbis, en hymnos canit, altus æther

Inlyto gaudet duce, gaudet æque

Præside tellus.

At meti cantus celebrantur isthic,

Hic (uti res sunt uarie atq; mixtæ)

T 2 Reddimus

Reddimus proni querulis remixta  
Carmina uotis.

En uides, quantis miseri premamur  
Cladibus (nóstro merito fatemur)

Tota proh cæci terimus nefandis  
Sæcula bellis.

Si tibi haud frustra data cura nostri est,

Si tibi pax non temere uocablum

Mutuat, belli procul o cruentos

Pelle furores.

Fac tua lenis prece, rex olympi,

Vindicem condat miseratus ensem,

Ferias donet, referatq; fessis

Ocia terris.

## DE SINGVLARI

LAVDE GABRIELIS ANGELI.



E quibus digne recinemus odis  
Gabriel, quem rite chorus supernus  
Proximum primo colit. O tonantis

Armiger alti.

Illi tu strennuus administras

Bella, nec quisquam melior, piorum

Castra tutari, & rabidas nocentum

Frangere uires.

Tu tenes:

Tu tenes oracula sacra, te olim

Nuncio, casus didicit futuros,

Ille quem insonti leo gaudet atrox

Lambere rictu.

Tu Zachariæ uetulo marito,

Thura dum festis adolet sacellis,

Pignoris seri subitus stupenti

Nuncius adstas.

Cuncta quid frustra sequimur canendo,

Illius dulce est meminisse nunci,

Lætius quo nil lachrymosus unquam

Audit orbis.

Nec salus olim, neq; spes salutis

Villa erat, sed mors stygijs profecta

Sedibus, gentem rapiebat omnem,

Vindice nullo.

Tum nouas autor meditatus artes,

Ipse ut inuisit homo factus orbem,

Te rei tantæ Gabriel, ministrum

Deligit unum.

Aduola terris, ait, & saluta

Virginem, matrem mihi mox futuram.

Fac sacramentum tege, ne ille sciscat

Callidus hostis.

Sic opus factio, neq; plura fatus

Ille, tu lapsu placido uolucres

T 3 Dissecas

Dissicas nubes, decorasq; pictis

Aetheria pennis.

Qualis aduersos feriente nimbos

Sole, resplendet (monumenta pacti)

Iris antiqui uarioq; cælum

Cingit amictu.

Vidit obliquis oculis uolantem

Dextero cælo, metuitq; latis

Incubans terris draco, luridoq;

Palluit ore.

Tecta tu pernix Nazaræa tangis,

Mox & illapsus thalamis pudicæ

Virginis, mandata refers sereno

Regia uultu.

Nostra cui primum hic lyra gratuletur,

Hæsitat, mundò ne malis leuato,

An deo fœtæ potius puellæ,

An tibi diue

Concio mentis, meritoq; summis

Rebus accersi, tibi tam sacrato,

Tamq; felici licuit uel uni

Munere fungi.

Noster ò salue bone pacifer, qui

Surculum adportans oleæ uirentem,

Nuncias primus, meliora mersis

Sæcula terris.

Delaude

# DE LAVDE RAPHAELIS.



Roxime primis Raphaël canere,  
Ordinis pars non humilis superni,  
Tute nam clarum comitem duobus  
Tertius addis.

Ò salus, ac certa hominum medela

Rebus afflictis, ope cuius olim

Reddito uidit reducem Thobias

Lumine gnatum.

Nec modo saluum, sed & ære largo

Diuitem, multa serie clientum

Diuitem, ac longis gregibus, nouacqz  
Coniuge lætum.

Ethnici Phœbumqz genusqz Phœbi,

Saxeos olim coluere diuos,

Hos rati morbis dubijs rogatam

Ferre salutem.

Nos magis nos te colimus, potentem

Vel nigro manes reuocare ab Orco,

Rursus & pigris animam liquefentem

Spargere uenis.

Tu simul membris, simul ò medere

Mentibus præsens opifer, luemqz

In tuos

In tuos euheu male saeuientem  
Exige terris.

# DE OMNI- BVS ANGELIS.



Ec tacendi estis proceres, duces cęp  
Cæteri nobis, breuiter cęp cuncti  
Milites regis ditione late  
Cuncta tenentis.

Ambitu quem ter trīplici triformem  
Dextera leua cęp, frequentiores  
Cingitis, quām nocte silente plenam

Sydera lunam.

O salutandi nouies beati,  
O cium quorum mala nulla terrent,  
Certa quos diui beat intuentes

Copia uultus.

Inuidet uestræ miser ille sorti,  
Eminus sedes quotiens ademptas  
Suspicit frendens, & inauspicati

Pœnitet ausus.

Vespero quondam similis rubenti  
Inter æternos rutilabat ignes.  
At simul regis diadema miles

Ambiūt audax,

Iam

Iam pares uoluens animo cathedras

Flammeo telo, grege cum sequaci

Ictus electusq; rudem ruina

Terruit orbem.

Excipit partim caua Styx ruenteis,

Abditur lucis bona pars opacis,

Cursitat magnum per inane, multo

Plurima turba.

Densior, q; Cecropijs in hortis,

Tinnulos æris crepitus secuta,

Euolant examina, quam q; caelo

Decidit imber.

Pugnat hoc unum haec uigil, improboq;

Omnis incumbit studio, pios ut

Distrahat, tundat, geminoq; raptos

Funere perdat.

Ah nefas, quantum daret illa stragm:

Cui salus tandem, nisi frangeretur

Obuijs uobis furor, & nocendi

Dira libido.

Vestra nos tutela fidelis ortos

Excipit, nec luce prius relinquit.

Semper hac freti nihili furentem

Ducimus hostem.

Imus hac tuti tumidum per æquor,

Asperas tuti penetramus alpeis,

V Viuimus

Viuimus uestro, morimurque demum  
Munere tuti.

Vos parum firmis dare robur, ideo  
Anxios nostis gemitus leuare  
Nuncijs felicibus, ac subinde  
Visere castos.

Caelici ciues, adeone uobis  
Exules curae sumus, ut uacet sic  
Obsequi nobis, plegeatque nunquam  
Sortis iniquae.

Nuncij crebri uolitatis, inter  
Arduos caelos, humilesque terras,  
Hinc preces fertis querulas, at istinc  
Dona refertis.

Porrò nos tantis meritis (quod unum  
Possumus) gratos memorí camœna  
Reddimus cantus, ferimusque templis

Dona dicatis.  
Ferias anno referente sacras,  
Caelat hic festus simulacra sumus,  
Hic chorus supplex manibus facessit

Vota supinis.  
Quæ patris summi penetrent ad aures  
Semper, ac per uos rata sint precamur,  
O patroni præsidiumque felix  
Christigenarum.

Erasmī

ERASMI ROTERODAMI CARMEN IAMBICUM,  
cū, ex uoto dicatum uirginis Vualsingamicæ  
apud Britannos.

Ὕ χαῖρικοῦ μῆτερ ἐυλογημένη,  
Μόνη γαστιῶν θεοτόκος ηὐή παρθένος.  
Ἄλλοι μὲν ἄλλας σοὶ διδόσσοι μωρέας,  
Ο μάνγε χρυσόμ, δὲ τάλιμ τῷρ ἄργυρομ.  
Ο δὲ τιμίσαι φέρων χαρίκελος λίθος,  
Ανδρῶν ἀπομετέσθοι μὴν νηγιαίνει μέματε,  
Ἄλλοι δὲ ταλατᾶμ, καὶ τινες γαστικίς  
Κυῶντος ἐρατὸμ δυνομέλπιζειν τατέδος.  
Πυλίσ τινες γέροντος αἰώνας λαχᾶμ.  
Αυτός δὲ οἰδός, ἐυμενίης, τάνκης γόμων  
Στίχους γνέγκας, οὐ γαρ ἔξεστάλλοι  
Δόσεως ἀμοιβῶν ἐντελεσάτης, γέρας  
Μέγισον αὖτε, θεοσεβῶν πλην καρδίαν  
Πασῶν δέσποτας ἀμαρτιῶν ἐλεύθεραρ.

ΕΥΧΗ Τῷ Εράσμῳ.

EPITAPHIVM SCVRVLAE temulenti. Scazon.  
Pax sit uiator, tacitus hos legas uersus,  
Ut sacra uerba mussitant sacerdotes,  
Ne mihi suauem strepitus auferat somnum,  
Repetatq; uigiles ilico sitis fauces.  
Nam scurrula hocce sterto conditus saxo,  
Quondam ille magni clarus Euij mystes,  
Ut qui bis octo lustra perbibi tota,

V 2 Oculis

Oculis profundus, deinde somnus obrepit,  
 Ut sit, benigno membra cum madent Baccho.  
 Atq; ita peractis suauiter bonis annis,  
 Idem bibendi finis atq; uiuendi  
 Fuit, sed etiam me aliquis ebrium credat,  
 Aut somniare, qui ista dormiens dicam.  
 Vale uiator, iam silenter abscede.

ENCOMIVM SELESTADII CARMEN  
 NE ELEGIACO PER ERASMVUM  
 ROTERODAMVM.



Obile Sleſtadiū, tua qs pomeria primus  
 Signans, tam dextris cōdidit auspicijs:  
 Vnde tibi Genius tā felix, tāq; benignus:  
 Sydera nascenti q̄āe micuere tibi:  
 Cum uidearis enim, neq; muro insigne capaci,  
 Plebe nec innumera diuitijsue scatens,  
 Vrbibus in cunctis, tamen haud felicior ulla est  
 Quotquot Cæſarea sub ditione uigent.  
 Non ego iam memoro, quod fertilis undiq; campus  
 Adiacet, & segetem prosperat alma Ceres.  
Quodq; hinc uitiferos monteis, hinc dītia Rheni  
 Flumina prospectas, grata quod aura fouet.  
 Cōmoda bella, sed hæc tecum cōmunia multis.  
 Dotibus hisce simul uinceris, & superas.  
 Illa tibi propria est, quod & una, & parua, tot ædis  
 Virtute insigneis ingenioq; uiros.  
 Tot pa

Tot pariter gemmas, tot lumina fundis in orbem,

Quot multis alijs uix genuisse datum est.

Doctrinæ proceres tot habes, quot proditor ille

Vix belli proceres oculuisset equus.

Quam nō Vuimphlingus, quā nō Spiegellius urbem,

Quam non Kirherus nobilitare queat:

Vnde tibi Sapidus, doctis quoq; dignus Athenis?

Vnde sacer Phrygio, Storkius unde tibi?

Vnde tibi Arnoldus, Musis excultus, & unde

Matthias niueo pectore Schurerius?

Vt sileam reliquos, non te satis ille Beatus

Rhenanus, lingua doctus utraq; beat:

Quæ tibi cum liquido tacita est cognatio caelo?

Num quod Palladia numen ab urbe fauet?

Corpora gignit humus, mens æthere manat ab alto.

Membra alia pariunt, tu paris ingenia.

Quis non inuideat tam splendida commoda, ni quod

Non tibi, sed mundo fertilis, ista paris.

Gloria te penes est unam, sed fructus ad omnes

Peruenit, humanum quæ patet orbe genus.

Hæc memor hospiti, tibi carmina panxit Erasmus

Haud lepida, at grata qualiacunq; cheli.

AD SEBASTIANVM BRANT ARCHIGRAM,

mateum urbis Argentineñ. Phalecium Erasmi.

Ornarunt alios suæ Camœnæ,

Ornas ipse tuas magis Camœnas.

V 3 Multos

Multos patria reddidit celebres.  
 Vrbem tu celebrem, celebriorem  
 Multo constituis Sebastiane,  
 Lingua, moribus, eruditione  
 Libris, consilio, seueritate.  
 Sic cum fœnore plurimo rependis  
 Acceptum decus, è tuo uicissim  
 Illustrans, patriamq; literasq;.

AD THOMAM DIDYMVM AVGVPA-  
 RIVM POËTAM LAVREA-  
 TVM, ERASMI ROT.

## CARMEN.

Quas mihi transcribis doctissime Didyme laudes.  
 Ut sunt maiores, quām quas agnoscere possim,  
 Ni prorsus frons nulla foret, sic rursus eadem  
 Sunt adeo doctæ, taliq; è pectore natae,  
 Ut minime libeat, quas das rescribere. Veras  
 Esse perinde optans, quām sunt lepidæ, atq; uenustæ.  
 His ego non sanè placeo mihi. Tu mihi Vates  
 Lauro digne places, nam dum me reddere magnum  
 Carmine magnifico docte conniteris, ipsum  
 Te ostendis uere magnum, ueréq; stupendum,  
 Ut qui uiribus ingenij possis Elephantum  
 Reddere de musca, nihiliq; attollere tricas.  
 Sed quo iudicium minus approbo, maxime Vates  
 Hoc mage lator amore tuo, candoreq; mentis.

Des.

DES. ERASMI ROTERODAMI CARMEN  
 IAMBICVM AD ANDREAM AM-  
 MONIVM LVCENSEM, INVII-  
 CTISSIMI REGIS ANGLO-  
 RVM A LIBELLIS.



Vicunq; dotes reputet Ammoni tuas,  
 Oculisq; totum lustret admotis prope  
 Oris decus, proceritatem heroicam,  
 Vultuq; toto & uniuerso corpore

Bene temperatam dignitate gratiam,  
 Nitentium blandum uigorem lumen,  
 Linguæq; plectrum tam suave tinniens,  
 Mores dehinc horas ad omneis commodos,  
 Facileis, amicos, melle melleos magis,  
 Veneres, lepores, gratias, risus, iocos,  
 Mitem indolem, mentisq; candorem nouum,  
 Mireq; mixtam simplicem prudentiam.  
 His pectus adde sordido auersum lucro,  
 Dextramq; quam pro sorte largiusculam.  
 Iam quam benigni uena diues ingenis  
 Quot animus unus expolitus literis?  
 Ac rursus his par addita est facundia.  
 Demum uniuersa hæc rara condit comitas,  
 Et improbi liuoris arcet fascinum  
 Modestiae iucunditas, cum dotibus  
 In tam superbis, nil superbum in moribus.

V 4 Hæc

Hæc quisquis inquam pensaret, tot affatim  
 Congesta in unum, nonne merito dixeris?  
 Soli parentem fuisse naturam tibi,  
 Contra nouercam cæteris mortalibus.  
 Horum licet tibi ipse debes pleraq;  
 Restant tuæ fortuna iam partes, uti  
 Dotes ita amplas, opibus exæques tuis,  
 Nisi uis uideri aut cæca planè aut inuida.

AD LVCAM PALIVRVM RVBEAQVEN  
 SEM EPISCOPI BASILEIENSIS  
 CANCELLARIVM, ERAS.

ROT. CARMEN.

LVCAE PALIVRO RVBEAQVENS  
 ERASMVS ROTERODAMVS  
 EX TEMPORE.

Exhaustum immodico nouale cultu  
 Mentitur queruli spei coloni.  
 Effœtum ingenium labore longo,  
 Nil dignum parit hoc amore nostro  
 Quo te prosequor unice, inter omnes  
 Mellitissime Paliure amicos,  
 Nec dignum meritis tuis, nec ipsi  
 Quod respondeat eruditioni.  
 Quod solum licet, hoc in omne tempus  
 Præstabo, ex animo medullitusq;  
 Nostrum (sic meritum est) amabo Lucam.

In fugam

IN FUGAM GALLORVM INSEQUENTIBVS  
Anglis apud Morinum, A.N.M.D.XIII. Scazon  
Des. Erasmi Roterodami. Alludit ad  
carmen Martialis de Catone.

Audiuit olim censor ille Romanus,  
Ludos iocosæ quando noueras Floræ  
Cur in theatrum Cato seuere uenisti?  
An ideo tantum ueneras ut exires?  
At iure nunc imbelligis audiat Gallus,  
Ludum cruenti quando noueras Martis,  
Animos ferocis quando noueras Angli,  
Quid quæso in aciem timide Galle prodisti?  
Ferro minaci splendidas agens turmas?  
An ideo tantum ueneras, uti fœde  
Fugiens sequenti terga uerteres hosti?  
Acs pedum certamen esset, haud dextræ.  
Cato fœminas uidere non potest, Gallus  
Viros. Cato mutare potest non uultum,  
Gallus nequit mutare pectus ignauum.

CVM MVLTOS MENSES PERPETVO PLV-  
issit, & per unā modo dieculā se mundo sol ostend-  
isset, rursusq; nō minus odiose cūq; antea plue-  
ret, ERASMV S Basileā repetēs, in itinere

sic lusit in Iouem, A.N.M.D.XV.

Menses cum propè Iuppiter per octo  
Vota surdus ad omnium pluisset,

Agros

Agros iam male perdidisset omneis,  
 Vexasset segetesq; uineasq;  
 Tandem desierat, pudore credo,  
 Et tandem licuit uidere solem,  
 Quem migrasse polo timebat orbis,  
 Aeternam ratus imminere noctem.  
 Vix dum sesquidiem nitere passus  
 Obducit nebulisq; nubibusq;  
 Totum quâ patet undequâq; mundum.  
 Ac rursum similis sui esse pergit.  
 Istoc si moderere pacto olympum,  
 Nec quicq; es nisi nubium coactor,  
 Quis non officium probet gigantum?  
 Et cognomina consueta uertens,  
 Pessimum uocet, infimūmq; diuūm?

EPITAPHIVM PHILIPPI COENO-  
BITAE CLVNIA CENSIS.

**Viator.** Isti cur lubet assidere saxo,  
Cum toto Pietas choro sororum?

**Pietas.** Hic noster iacet unicus cateruæ  
Vindex, ille Philippus, ille dudum  
Cœtus gloria prima Cluniaci.

**Viator.** Luctum at nulla solet decere uestis,  
Vos albis uideo nitere totas.

**Pietas.** Cuius tam niuei fuere mores,  
Cui tam candida sit peracta uita,

Huius

Huius funera non puto decere  
Aut pulla, aut lachrymis nigrandum.

ERASMVS ROTERODAMVS GUILIEL-  
MO NESENO CALAMVM DONO  
DEDIT CVM HOC EPI-  
GRAMMATE.

CALAMVS LOQVITVR.


Tantillus Calamus, tot, tanta uolumina scripsi  
Solus, at articulis ductus Erasmiacis.  
Aediderat Nilus, dederat Reuchlinus Erasmo,  
Nunc rude donatum, me Gulielmus habet.  
Isq; sacrum Musis seruat, Phœbocq; dicatum,  
Aeternæ charum pignus amicitiaæ,  
Ne peream obscurus, per quem tot nomina noscet  
Posteritas, longo nunquam abolenda die.

EPIGRAMMATVM


D E S . E R A S M I


R O T E R O D A


M I , F I N I S .




BASILEAE APRVD IO.  
FROBENIVM M EN  
SE MARITIO A N.  
M. D. XVIII.









7909

C83

